DE

EUTHANASIA MEDICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XXIII. M. MAJI A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CHRISTIANUS CAROLUS SALZMANN
SCHNEPFENTHALIANUS.

OPPONENTIBUS:

C. BURCKHARDT, MED. ET CHIR. DR.
M. NAGEL, MED. ET CHIR. DR.
G. JULIUS, THEOL. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

Omne tulit punctum, qui miscuit *utile dulci!*

Horatius.

PATRI OPTIMO

J. C. SALZMANN

DUCI SAXO-GOTHANO A CONSILIIS AULICIS

MATRI CARISSIMAE

TH. SALZMANN E GENTE LENZ

AVUNCULO DILECTISSIMO

H. LENZ, DR.

HASCE PAGELLAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR

PRAEFATIO.

Quamvis non dubitem, quin vix quemquam reperturus sim, qui *me* potissimum *de Euthanasia* scribere idoneum esse judicet, mihique ipsi id satis dubium videatur; tamen haec materia prae ceteris mihi arrisit, *summoque studio* eam elegi.

Peto igitur etiam atque etiam, ne, cujus dissertationis mediocritatem ipse agnosco, de ea severe judicetur.

Multa vero ex aliorum scriptis me recepisse, multa ad verbum reddita esse, ultro confiteor. Attamen plurimae ad materiem meam pertinent notitiae historicae, quas ex se ipso nemo haurire potest; ad verbum autem me quasdam aliorum sententias excerpsisse, si quis arguat, pulchre

graveque dicta auctoribus relinquere, quam mutata atque corrupta pro meis vendere malui.

Ceterum, quos laudavi scriptores, saepe non primi sunt rerum auctores, cum eorum copia haud raro mihi facta non esset; quare, ne in indicandis testibus fallerer, eos scriptores, qui mihi ad manus erant, laudare satius habui.

Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, multum adhuc restat; nec post mille saecula praeclusa erit occasio aliquid addendi.

SENECA.

De euthanasia hucusque pauc[illegible] scripseruut,

In tanta librorum de arte medica scriptorum copia, mirum est, *de sanatione* maxime morborum agi, minus *de mitiganda tristi insanabilium sorte*, vix denique inveniri librum, quo id doceamur, *qua ratione eorum, quibus certam mortem instare videamus, decessum quam lenissimum reddere possimus.*

medicorum o[illegible] ficio non sem[illegible] per adjecta es[illegible]

Quodsi Iliacis et insequentibus Homericis temporibus medici *vulnerum tantum curationem exercuerunt*, internas aegrotationes diis reliquerunt curandas (1), heroïcae aetati, propter infantiam quasi artis medicae, opprobrio vix tribuendum est. Vel Hippocrati, admirabili naturae investigatori, si putavit *auxilium non nisi sanabilibus ferendum esse* (2), ignoscendum est, cum ob multitudinem morborum, quibus sanandis tunc temporis certe non par erat ars medica, tum propter exiguum ethicarum rationum cultum. Sed postea etiam, cum Hippocrates immortalibus praeceptis felicioribus atque amplioribus medicorum effectibus viam aperuisset, usque ad nostram aetatem non defuerunt, qui medicum hortarentur, *ut nominis sui memor iis tantum, quibus posset mederi, operam suam navaret.* Mitiora Christi praecepta non adeo valebant, quin plus centum annis post Hippocratea illa medicorum fidem non solum obtinerent, sed coram judice etiam ad justam defensionem adhiberentur (3); quid multa? hoc nostro tempore vir quidam celebratissimus frequentissimae discipulorum coronae praecepit: »*sin aegroto deest philosophia, fides, moderatio dolorem fatumque patien-* »*ter sustinendi, si moeror et taedium ita eum occuparunt, ut medicus ea omnino* »*amovere nequeat: tunc desinat morbum chronicum tractare, sortique ejus aegrotum committat*« (4).

attamen vel mo[illegible] ribundi medici[illegible] adjumento egen[illegible]

Selbst das Daseyn nur, des Lebens Schatten
Ist dem Kranken immer noch ein Gut;
Selbst die Gräserhalmen auf den Matten
Sterben traurig unter Sonnengluth.

RUDOLPHI.

Attamen rarissime homines marasmo senili feliciter conficiuntur; subita mors cultiore nostra aetate minus vulgaris; insanabilium malorum hodie etiam magnum numerum, exitusque eorum haud raro acerbas cum morte luctationes esse dolemus. Accedit, quod valde errat, qui temere credat, animam placide semper discedere, quasi facem, quam Genius hilaris et subridens vertat. Satis saepe moribundus certissimam horribilemque mortis instantis divinationem habet; haud raro singula membra officia subinde resignant, naturales corporis actiones altera post alteram desinunt, donec, omni corporis organismo subsistente, anima ex eo decedit: *homo particulatim intermoritur.* Aegrota quaedam, cujus facies totam mortis imaginem praebebat, Reilio dixit: »Sentio aliquid, quod nunquam adhuc sensi; dic mihi: »hocne est mori? Est vero“, sibi ipsa respondit, »est mori, nam pedes mei ad ge»nua jam rigidi sunt. Excalfactoria adhibenda curate, ut membra intermortua re»viviscant! Sed pulsus etiam deficit!« Haec ubi dixit, superstite manu mortuam comprehendit (5). Nec desunt horribiliores etiam casus iique plurimi, ut, quisquis moribundos saepius vidit, e tristi ejusmodi exitu tam vulgarem mortis metum intelligat, neque sit, cur ad opinionem istam (6) cum experientia discrepantem recurramus: multos immortalitatem animi non credere.

ne multi etiam overunt.

Itaque sine dubio operae pretium fuit, singulos viros Asclepiae sacerdotes monuisse, *se non solum sanabilibus sed morituris etiam aegrotis auxilium ferre debere, sed alteris aliter esse consulendum.*

»Integritas morum non sola animum sustinet in mortis luctatione. *Enthu»siasmus* quidam *Arriae* fuit, quae, cum pectus mucrone perfodisset, ferrum ex»traxit et conjugi dedit adjiciens: »»Paete, non dolet!«« Barbari indiani terribiles »cruciatus patiuntur atque hostes etiam irrident; vir fortis, in proelio hostium te»lis confossus constanter moritur; latro in curru carnificis Tyburni nugas facit, ad »delectandam Londinensium plebem; sunt etiam, qui patienter moriantur, quod vi»vere se amplius nequire intellexerint« (7). Attamen solatium, quod in se habet moribundus, non semper sufficit; multa enim exempla historia affert eorum, qui, in vita imperterriti, morte instante demissi vel desperati adeo fuerunt.

Hinc Kesslerus: »quibus miseris«, ait (8), »medicus *non deerit*, quum, »quamvis primum ejus officium sit, ut morbis medeatur, tamen, qua ratione aerum»nae angustiaeque morbi immedicabilis urgentes leniantur obitusque aegrotorum ipse »optime placetur, prae ceteris intelligat, aptaque juvamina moribundis praescribere »polleat. Moribundis deesse *non potest* medicus, quia hoc munus et propter mi»sericordiam pergrave, eo gravius apparet et medicis eo magis debitum esse vide»tur, quo magis morborum insanabilium copia nostris temporibus invalescit, eorum»que causae nos latent et remedia ad eos debellandos apta nos fugiunt. Moribun»dis deesse *non debet* medicus, quippe cum aegroti insanabiles, affectibus morbosis »angustati, omnem vitae spem nunquam abjiciant, et miserrimi quidem mortique jam »vicini medicum omni fiducia adspiciant. Tantum est hoc moribundorum resusci»tandorum munus, ut medicum neque infectionis pavor, nec fletus vagitusque affi»nium, nec taedium morbi nimis jam protracti, nec morositas aegroti ipsius, neque »aliae res excusare possint, si manum suam juvantem detraxerit.« Sed magno Britannorum ingenio, *Baconi de Verulamio*, honor servandus est, quod primus accurate de ea re exposuit: »etiam“, locutus, »plane censeo ad officium medici perti-

»nere, non tantum ut sanitatem restituat: verum etiam ut dolores et cruciatus mor»borum mitiget: neque id ipsum solummodo, cum illa mitigatio doloris, veluti sym»ptomatis periculosi, ad convalescentiam faciat; imo vero, *cum, abjecta prorsus omni »sanitatis spe, excessum tantum praebeat e vita magis lenem et placidum*« (9).

Adfulgentis tamen fugienti animae spei non raro in moribundis signa vidi, qui serenissimo vultu, non sine blando subrisu, de vita excesserunt.

HALLER.

At non pauci sine medici adjumento euthanasiam assequuntur.

Sed Deo O. M. gratias agamus, quod multi, qui neque propria animi fortitudine, nec medici auxilio sublevantur, satis placidum vitae exitum habent. Si *proximae mortis causae*, vi irrumpentes, *subitam eversionem adducunt*, neque potest singularis quaedam et mitigans cura adhiberi, neque opus est. Sin universum nervorum systema fulmine vel narcotico veneno, terrore vel intemperata laetitia subito infringitur, vel cerebrum immodica sanguinis congestione; si gravi per partes violatione systematis nervorum sympathice debilitatio oritur, ut laeso corde; sin actionibus pulmonum insuperabiles sed lenes cancelli ponuntur, ut vaporibus carbonum apud dormientem, vel in cella, ubi potus effervescentes servantur: nulla medici tractatione opus est, ipsa naturae benignitate optimam euthanasiam praebente. Sic *Fourcroy*, litteraria quadam opera occupatus:„ mortuus sum!" exclamavit, atque fuit revera (10). *Apoplexia* in senibus tam crebra est, ut secundum Seilerum nonaginta e centum ea pereant (11).

Vel *lente appropinquantes proximae mortis causae*, cum plerumque non sint cum doloribus conjunctae, ne facultatem quidem adhibendae medicinae optabilem reddunt. Summa animi tranquillitate, quae superato acerrimo inflammationis dolore oritur, *gangraena* pereuntes supremum vitae momentum exspectare solent, et *nomate* morituri ne dolores quidem plerumque praecedentes habent. Qui animam cum *sanguine* effundunt, omnis doloris expertes e vita decedunt, sive sanguis in corpore, sive extra effunditur. „Homines, *qui multis ex annis melancholici, vesani* „*fuerint, saevierint*, supremis momentis plenam sui conscientiam recepisse, fere com„munis est regula, quae vel in concretis cerebri abnormitatibus, ut in *profusione* „*sanguinis et seri, purulentatione, mollificatione, obdurratione, hypertrophia* vel in „*pseudorganisationibus* illius atque ita quidem valet, ut aut turbatio eodem modo „recedat, quo vires dilabantur, aut subito plena redeat conscientia atque mors eo„dem die accedat" (12). Sine ullo dolore *marasmo senili* universum nervorum systema torpescit, nisi aliarum confectionum accessu placidus decessus turbatur. Qui *tabescunt* morbo, qui *phthisi, scorbuto* (13), *hydrothorace* pereunt, spem vitae ad extremum spiritum retinere solent. Peritissimi adeo medici, qui phthisi laborabant, naturam morbi ejusque periculum interdum ignorarunt, velut *Selle* Berolinensis et *R. A. Vogel* Gottingensis (14). *Hydropici* saepe de ipsorum morte eadem tranquillitate loquuntur, qua de aliorum narramus, nec raro fit, ut rigidi pedes instanti morte recalescant. *Qui corde laborant*, sub finem vitae saepius positiones corporis patiuntur, quas antea servare nequibant, quin adeo sponte eas eligunt. Foderé observavit, *surdos* paucis horis ante mortem auditum recepisse (15). *Somnus* et *somnolentia* non minus morientibus transitum sublevat. Ita saepe fit post vehementia *deliria* vel alios *cerebri morbos*, post *enteritides* et *febres puerperales*;

ita secundum Pinelum plerisque *annis confectis* (nonagenariis) *mulieribus* contingit (16); *Antoninus pius* eundem finem felicem assecutus est (17). *Quos fortuna adversa persequitur*, obitus imminens saepe nullo modo terret. *Infantes* facile mori solent. Burdachius docet (18): „Studium naturae certissimam vitae aestimationem, „quae imperterritam morienti constantiam det, nobis comparat, unde apud *medicos* „praecipue et *naturae investigatores* evenire solet, ut mortem suam tanquam grave „quidem nec tamen triste negotium tractent: pater meus proxima ante mortem ve- „spera matrem rogavit, ut, quoniam dilucescente die moriturus esset, per noctem „apud se maneret, et ne minimam quidem rem, de qua consilium ei dare posset, „omisit; *Henricus Meyer* Berolinensis, qui anno 1827 defunctus est, consolatus su- „os de imminente ipsius morte, lenem somnum per aliquot horas cepit, cumque ex- „perrectus videret eos, qui circumstabant, multas lacrymas profundentes: „„*lafs* „*fahren dahin, lafs fahren! Der Mensch hat auf Erden kein bleibend Quartier!*““ „inquit, atque haec ultima ejus verba fuerunt; *Jäger* archiatrus Stutgartiensis su- „prema vitae nocte (1828) significavit, se sub meridiem civem Wurtembergicum „esse desiturum, concessoque adhuc tempore ita usus est, ut medicos maxime mo- „neret, quomodo sectio corporis ipsius mortui instituenda foret; alius denique mi- „hique cognatus medicus paulo ante mortem de mysterio existentiae dixit, idque „mox sibi apertum iri fidebat.“

Quin adeo interdum accidit, ut aegroti supremo momento proximi, *ad enthusiasmi cujusdam cacumen antea prorsus ignotum veniant, et summa ecstasi in beatorum sedes se receptos putent.* Observationes morientium et testimonia eorum, qui, cum obire jam visi essent, in vitam redierant, abunde hoc testantur. Rahn de ea re dicit (19): »Videatis tot exempla agonizantium variis morbis emaciatissimorum, »mortuorum imaginem exhibentium, qui, pulsu ad sensum non amplius micante, »verba ad adstantes eloquentissime et summo nunquam antea observato judicio fa- »ciunt.« Puerpera quaedam e corona familiarium Burdachii hilaris et confirmata e somno expergiscens dixit: »se nunc morituram esse, sed infinitam beatitudinem, »cujus post novissimam quietem particeps sit, verbis exprimere neque se posse nec »licitum esse« (20). »*Bonnetus* paucis diebus ante obitum, cum sola uxor adesset, »subito inenarrabiliter subridere incepit, manumque illius prensans addidit: »»Ma »chère amie, je me sens élevé au ciel!«« deinde aliquamdiu quasi ecstasi occupa- »tus erat» (21). »*Herderus* paullo antequam moreretur: »»quantopere»», inquit, »nunc omnia mihi clarescunt! ut hoc tantum doleam, me nihil eloqui posse«« (22). Magis etiam mireris, euthanasiam a nullo medico sublevatam tam late patere, ut paralysis cerebri lenta sanguinis congestione ob contortas venas jugulares a Britannis nonnullis *ut grata mors quaeratur*, vel paralysin systematis gangliorum *dulcedinis causa mos sit* multorum orientalium populorum.

Sed euthanasia interdum etiam turbata est,

Sagt, verborg'ne Mächte: warum wüthen
Soviel Stürme nieder unsre Blüthen,
Warum fällt der Mensch nicht unbedroht?
Wird ihm nichts den finstern Gang vergüten?
Warum fühlt denn er nur seinen Tod? —

Tiedge.

Cavendum autem est, ne forte suaves istiusmodi imagines de fine hujus vitae securos nos reddant. Etenim ut omittamus, ipsam naturam millies acerba funera constituere, quod supra memoravi: inevitabiles morientium cruciatus ignorantia, negligentia, vel etiam lucri studio et inhumanitate eorum, qui adsunt, omnibus temporibus *singulari artificio* aucti sunt. Itaque, cum persuasum habeam, ut nunc sese res habent, plus effici posse amovendis perniciosis momentis quam adducendis jucundis, psychicasque rationes omnino hic plus valere pharmaceuticis: imprimis necessarium esse censeo, de afficiendo animo quae majoris sunt momenti afferri et injuriam moribundorum saltem significari.

Valde est verisimile, in quovis populo, quavis religione et fide obstricto, morientes ab iis, qui non sint medici, saepe pessime tractatos esse; idque apud *nonnullas gentes* praecipue valere, certa habemus documenta. ab iis potissimum, qui non sunt medici:

In *Japonia* quisquis obeuntem tractat, legibus in eum diem impurus fit (23). *Bengaliae* (*Indiae*) incolae moribundos in Gangem dejiciunt, ut fortunae in sacro fluvio animam reddendi participes fiant (24). *Socotoram* insulam qui habitant, nullum mortuorum et moribundorum discrimen admittunt, sed utrosque pariter sepeliunt (25). Quae Kondomam et Marasam flumina circumhabitant *nationes tataricae*, tympana circum exstinctos pulsant (26). *Hottentotti* cognatis animam agentibus terribilem clamorem edunt, idemque fere *Marochii* fit (27). *Indiani* (in America septemtrionali) eos, qui letho sunt proximi, in caespite ponunt, quo celerius ibi exstinguantur (28). *Veteres Graeci* sepulturam mortuorum ultra tertium post creditum obitum diem non differebant, quia opinabantur, manes defunctorum usque ad humationem dolentes circumvolare (29). Hinc fieri potuit, ut multi, qui jam mortui credebantur, denuo in vitam redirent, quod tam crebro accidit, ut consuetudo inde orta sit, peculiari nomine ὑστεροποτμους illos vocandi (30). Ibidem mortuorum, quos putabant, ora adligare solebant, qui mos tam gravis erat, ut Agamemnonis umbra Clytemnaestram omissi hujus officii accusaverit (31). »*Romani* eos, quos defunc»tos putabant, ter quaterve nomine eorum vocabant, quod *inclamare* nominabant, »deinde: *conclamatum est de eo* dicebant, corpus deponebant humum, faciemque »velo tegebant» (32). »Mos nonnullorum populorum ferorum atque etiam Roma»norum, quem memoravi, ex quo mortuos tubis aliisque strepentibus instrumentis »musicis velut clamore increpant: non aliunde ortus esse videtur, quam quod hunc »vel illum revera experrectum esse compererant. Sed si quid spei vitae servandae »restat, non barbarorum consuetudinem imitemur, cum longe melioribus artibus ae»grotum aut expergere possimus aut certa mortis indicia opperiri» (33). Quid enim, si quis, non mortuus quidem, sed qui signa vitae edat impotens, velut praeclarus *Frankius* (34) aliique, tales strepitus frustra audiret? ab aliquot populis,

Tantum religio potuit suadere malorum!

LUCRETIUS.

E variis *religionibus*, de quibus hoc loco dicendum est, *Moseo-talmudica* vituperanda est, quod vetat Israëlitam supremis horis consanguineo cuidam adesse. Simulatque igitur de eo actum esse videtur, omnis cura alii eorundem sacrorum participi committitur; quod anxiis malum est omen, et in tanto hujus hominum gentis metu mortis minime negligendum. Jam maxima Judaeorum multitudo accedere et moribundum, sed pessima plerumque ratione, consolari, preces pro eo fundere, a variarum religionum et variae fidei ab ecclesia receptae confessoribus: ab Israëlitis,

canere totumque conclave malis vaporibus adeo solet implere, ut vel sani non sine incommoda valetudine ibi manere possint. »Vix animus acriter vexati ad patres »relatus esse videtur, cum Israëlitae corpus propere e lecto trahunt, oculos osque »claudunt mortuumque in solo cubiculi ponunt. Deinde undique physicatum adeunt, »ut ipsis permittatur, defuncti corpus prius sepelire quam per leges licet. Quod »quo citius assequantur, horam mortis ante mortem simulant omnesque artes adhi- »bent, ut sex, octo, duodecim aut summum viginti quatuor horis post verum deces- »sum mortuus humari possit (35).“ Paucis locis tantum ex. gr. Pragae et in ducatu Megapolitano, Judaei de hac re prudentius judicare inceperunt (36). Talmud etiam, si mulier gravida capitis damnata sit, praecipit, ne poenae executio differatur post partum nisi forte ista jam parturiat (37).

fidei romano-catholicae confessoribus.

Catholica quoque *ecclesia* varias cerimonias retinet moribundis noxias. P. Frankii tempore in Germania Italiaque usitatum erat, inter luctationem alicujus cum morte, non ita cito finitam, campana funebri (*Sterbeglocke*) insonari, ut, quicunque sonos audirent, pro beato obituri fine precarentur. Tum plebs Lauretianis quoque dictis tintinnabulis (*Lorettoglöckelchen*) sonabat, quibus a lectulo morientis diabolum ejusque sollicitationes arceret. »Non dubito quidem“, Frankius ait, »de sin- »gulari hac vi et facultate; sed cur aegroto, qui fortasse nullum videt diabolum, »eum ostendamus?“ (38) »Publicae expiationes, clarus cantus multitudinis intra et »extra aegroti domum congregatae, solennis sacerdotis appropinquatio, faces et ce- »rei, Christi de cruce pendentis effigies collocata inter illos in mensa velo candido »tecta: haec omnia (vel salvis aegroti cognatis in clamores insanos plerumque erum- »pentibus) tantum anxietatis afferunt, ut multis in casibus, aegroto vehementer omni »ex parte concusso, nisi miraculum fiat, speratus effectus provenire non possit. At- »que hoc tunc maxime valet, cum natura exspirantis, supremam luctationem agens, »ab omnibus vehementioribus affectibus quam maxime liberanda sit“ (39). »Nihi- »lominus annis 1707 et 1712 in Gallia legibus constitutum est, ut medici, sub poena »amittendi muneris, secundo statim die, postquam advocati essent ad aegrum, qui »moriturus esse videretur, ut igitur eum monerent vel monendum curarent ad con- »fitenda sacerdoti peccata. Quod si aegrotus et cognati ejus facere nolunt, ipse »medicus hoc pastori nuntiare scriptumque de ea re testimonium ab eo petere de- »bet. Tum, si neque pastor ei neque capellanus testatur, aegrotum peccata confes- »sum vel certe a sacordote visum et ad sacramenta danda praeparatum esse: a ter- »tio inde die medicus moribundum nec visere amplius, nec curare tenetur“ (40). Hoc decreto Frankius certissime apparere dicit, vel pios interdum auxilium sacerdotum catholicorum perhorrescere, additque, se ipsum a multis aegrotis manifesta metus indicia de tali visitatione accepisse (41).

a sacerdotibus in universum,

Sed in aliis quoque religionibus confessionibusque vel deditissimo cultori optabile est, *ne sacerdotibus quibuslibet conditionibus aditus ad lectum funebrem concedatur.* Multi quidem libri conscripti sunt de ratione, qua pastores obeuntibus opem ferre debeant (42), sed nec postulare neque sperare possumus, virum sacerdotem recte dijudicare posse, quid ille desideret, cujus corpus simul atque animum diversissimi affectus vexent, quos, nisi accuratam totius medicinae notitiam et longiorem hujus novissimae conditionis observationem habet, recte dijudicare non potest: attamen hae res sacerdoti ignotae et a reverendo ejus officio remotae sunt. Nihilo-

minus: »deficiente medici auxilio, clerici lectum funebrem, tanquam ipsorum possessionem, occupare solent, atque hoc quidem saepe magna cum vecordia« (43). Frankius narrat: »sacerdotes vidi fortissimi lateris, qui os anima impletum ad aurem aegroti admovebant atque ita clamabant, ut semisurdus ceterum sanus in via praeteriens facillime verba illorum audire potuisset; tales ego admonitiones per aliquot dies ita continuatas vidi, ut duo pastores alternatim acclamarent« (44). Iam si quis reputat, ex omnibus sensibus audiendi facultatem non solum diutissime remanere, sed sub finem etiam saepius mirum in modum augeri: quomodo talia respiciens afficietur? »Insignes theologi naturales convulsiones et contortiones musculorum faciei (apertas sollicitationes concussae corporis machinae sopientis graviter spirantis) pro certis desperationis indiciis ita observarunt, ut studium non prorsus celatum appareret in occidente certe sole maculas aliquas investigandi, quo id effecerunt, ut morientibus ultimum solatium detraherent: spem dico rectioris posterorum de ipsis judicii« (45). Inopinatus sacerdotis adventus, proh dolor! solus saepissime rem in deteriorem partem convertere valet, aegroto virum sanctum cum angelo mortis commutante. Notus satyrarum scriptor *Rabener*, supremo morbo laborans, a medico amico suo petierat, ut omni demum vitae servandae spe abjecta, eum advocaret, qui sibi ipsi esset a sacris confessionibus. Itaque cum medicus, illius promissi immemor, cum clerico, qui forte ei obviam venerat petieratque ut una irent, ad aegrotum veniret, jam prorsus hic de se actum esse putavit, neque ulla rei fortuitae enarratio praeoccupatam opinionem amovere potuit: ut citius moreretur, quam antea medicus exspectaverat (46).

Sed procul absit a nobis, ut clericos a lecto funebri omnino amovendos esse putemus. Vel nostris temporibus sacerdotes, qui in verae virtutis fama sunt, a moribundis summo desiderio arcessuntur, et alios quoque ad obitum suum custodiendum superstitio advocat. In utroque casu, quemadmodum nullus medicus impediet, quominus officii consors accedat, ita, quoad fieri potest, cum eo antea loquetur, qua ratione consolatio confirmatioque animi exspirantis aptissime instituatur. Novi egregium multisque negotiis exercitatum medicum publicum, qui filiam pastori cuidam in matrimonium dedit, abunde testatus, se magni facere sacerdotum ordinem; idem cognatis omnium moribundorum suae curae commissorum praecipit, ne ipso nescio tali viro aditum dent, nisi forte a se velint aegrotum statim deseri. Cui equidem non possum quin plane assentiam.

Multae aliae pravae consuetudines non singulis populis, religionibus, ordinibus propriae hic illic plurimae inventae sunt. Quarum nonnullas tantum hic commemorabo. Iam antiquitus fuerunt, qui sibi vaticinandi negotium sumserint neque omiserint, nonnullis *certum mortis genus ejusdemque horam praedicere*, ut sortis suae sibi conscii in posterum semper ut *Damocles* ille gladium super capite pendentem viderent. Observatum est, pollinctrices morientibus interdum *maxillas arte constrinxisse, abdomen gravi pondere onerasse* aliisque artibus supremum spiritum accelerasse, ne lucrum speratum amitterent (47). Passim usitatum est, *lapillos in oculis* eorum, qui mortui habentur, *collocare* vel *totam faciem linteolo adusto vino tincto obtegere.* In regionibus quibusdam *brachia et pedes constringuntur*, *venter magnis lapidibus oneratur* (48). »Falsa quoque in spiritum exhalantes misericordia, vel impium etiam celerioris mortis desiderium, ruri maxime efficit, ut adstantes iis, qui

eodem modo a singulis de plebe;

»nimis lenta dolenteve morte auferantur, *pulvinum capitis detrahant*, quo, opinan- »tur, celerius placidiusque e vita discedant. Quod si quis reputat, gravissimos mor- »bos in summo discrimine plerumque caput et pectus afficere, multis in casibus »debilitatem et nimiam capitis vasorum expansionem, exsudationem in cava cerebri, »encephalitidem, pneumoniam, inhibitionem fluidorum, congestionem lentae pituitae »vel puris in vasis et cellis pulmonum oriri, quibus viscera ad vivendum tam ne- »cessaria comprimantur et circulatio impediatur: facile colliget, in quantum depres- »sior aut erectior summi corporis positio aut celeriorem aut tardiorem finem cujus- »que fere periculosioris conditionis efficiat. Ponamus e. c. clausam vomicam pul- »monum, cujus ante diruptionem aegrotus crebro suffocari videtur, ubi locus diru- »ptionis et facilior erumpentis puris egestio efficiunt ut moribundus servari queat! »Demissior trunci positio sufficientem cavi pectoris amplificationem cohibet, debi- »lisque aegrotus impetu rapide erumpentis puris primo temporis momento suffoca- »tur. Idem vel mediocri hydrothorace, in omni congesta lentaque pituita orto se- »nectuti maxime peculiari asthmate accidet, si capiti instinctui naturali contraria »positio assignatur, ex qua imbecillus se jam erigere non potest« (49). Questelius jureconsultus anno 1698 dicit: pulvinum capitis hoc modo plerumque detrahi mori- entibus, ut, omnibus miseri cognatis e conclavi remotis, pulvinus uno vehementique impetu sub capite deripiatur. Saepius se vidisse, moribundos consilium adstantium divinatos contra obnisos esse, aliquosque, qui de insana ea consuetudine scivissent, liberis heredibusque antea imperasse, ne eam sequerentur. Atque id quidem tam notum fuisse, ut sacerdotes (ex. gr. Jenenses) in explicatione quinti dominici prae- cepti publice pravissimum morem insectarentur (50).

»Horribiliorem etiam effectibus hanc impiam consuetudinem necessarie esse »oportet, qua corpora vix defunctorum vel eorum adeo, qui praesentibus nimis len- »tae atque dolenti morti succumbere videntur, *e lecto detrahuntur et in saccum stra- »mento refertum vel in robur* (Leichenbret), *interdum adeo in solum cubiculi saepe »frigidi porriguntur.* In omnibus regionibus (Frankii aetate) apud vulgum funesta »haec consuetudo valet. Ne multis, observatum est, talibus lentius morientibus ho- »minibus ab officiosis nefarie aniculis, faciem abstergere simulantibus, *os naresque »operta esse,* vel etiam, illos *ita volutos conversosque esse, ut in antica corporis »parte ac facie jacerent;* quare senatus Metiensis a. 1777 sub poena triginta libra- »rum vel graviore etiam multa vetuit, mortuis os naresque ullo modo obturari. Ma- »ximum praecipue *apud infantes* periculum vitandum est, ne porrigendo in robur »nos ipsi potius quam morbus aegrotos interficiamus, quos semel refrigeratos diffi- »cillime est reficere, qui tamen saepissime in subitam animae defectionem et post »graves convulsiones in tantam debilitatem delabuntur, ut mortuis similes sint. Tunc »vero proxima quaeque cognata gementem matrem a lectulo infantis amovendam »curat, quo facto parvi liberi mox ad decessum vere adiguntur. Affinis quidam »meus (Frankii), qui modo ante breve tempus anno vitae tricesimo septimo defun- »ctus est, tenuis infans hoc modo tractatus est. Coëgerunt enim matrem amore »plenam, ut a cunis discederet, nuntiaruntque ei paullo post, deum optimum beni- »gnissimum molestiis subolis ejus finem jam imposuisse pulchrumque angelum ex »puerulo fecisse. Anxia mater infantem iterum osculari volebat, retenta est; cum »vero non tam diligenter custodiretur, clam in cubiculum se contulit, ubi filiolum

»suum in mensa jacentem tunica tantum indutum et vulgari mortuorum positione »porrectum invenit. Amplectitur rigidum puerulum, reportat eum in lectulum, stu- »det recalefacere, medicinam denique corroborantem infundit, qua mox devorata in- »fans sensim sensimque ita recreatus est, ut ad aetatem supra dictam pervenire »potuerit« (51).

Plus viginti annis post initium superioris saeculi, homo quidam propterea accusatus est, quod moribundam uxorem propere e lecto detraxerit, nudatam primo in robore, deinde in stramento, postremo in ipso solo posuerit, porro, quod faciem illius tam arcte constrinxerit, ut nullo modo animam ducere posset, quodque hoc facto abierit illamque octo horas solam reliquerit. Ita igitur accusatus cum confirmasset, se nullo malo consilio impulsum id fecisse, auctoritate Scabinorum Lipsiensium a. 1728 decretum est: si reus indicium suum jurejurando posset confirmare, praeter carceris poenam, quam jam subiisset, praeterque sumptus litis amplius in eum non esse animadvertendum (52).

Apud homines summorum ordinum corpora defunctorum, quo citius in exornatissimis lectis funebribus exponi possint, pollincturae causa *celerrime secari solent*, quod interdum sex vel duodecim horis post obitum creditum fit (53).

Id quoque antiquitus ad nostram aetatem in universum *non satis cautum est*, ac ne civitatibus quidem optimis legibus temperatis, *ne quis vivus humaretur*. Modo acriora enim, saepius leniora, nusquam fere rei prorsus accommodata edicta de his rebus data sunt (54). Non soli sunt Judaei, quos jure arguamus humationem nimis accelerare. Quam horribilis autem capulo conditi et sepulti in vitam reditus! Nonne horribilius etiam est, eum, qui sibi prorsus conscius est, qui omnia quae circum se agantur audit sed vitae indicia non edere potest (cujus conditionis exstant exempla) tumulo obrui? »Hirschingus narrat, mulierem quandam sexagenariam in summa »corporis imbecillitate mortuae similem, imminutum nullo modo sensum habuisse, »omnia, quae circum se dicerentur audivisse, nec tamen ullum vitae indicium edere »potuisse, donec tertio die sepultura parata est, ubi denuo impulsu dato sui com- »pos facta est« (55). Bellicis maxime temporibus plurimi adhuc viventes sepeliri videntur, cum post magna atrociaque proelia occisi in amplissima sepulcra dejici soleant, neque magna cura adhibeatur dignoscendi, num revera sint examinati. Ne alios commemorem, Francogalli bello septenni, teste Suesmilchio, in hoc genere multa pessima commiserunt facinora (56). Plurima certissimaque exempla eorum, qui, cum mortui viderentur, in vitam redierunt, variis in libris traduntur, Unzerusque cui fidem habeamus dignissimus, *plures*, ait, *homines vivos humatos esse*, *quam sua sponte atque consilio se necassent* (57). Quo quid horribilius dicam equidem nescio!

Fortasse etiam hoc quaeri potest, num aetati nostrae consentaneum sit *supplicium* quod dicunt *intentum* etiam *apud humanissimos populos* non modo remanere, verum etiam *interdum adhiberi?* ut e. gr. in Hungaria dextra parricidae vel fratricidae manus ante ipsum supplicium deciditur. Nonne vel ipsa nex tam gravis poena est, ut intendi non oporteat, etiamsi hoc praetermittamus, crudeliora supplicia iis hominibus, qui saepe intersunt, facile omnem humanitatem adimere? An non iisdem locis, quibus creberrime et ferocissime homines summo judici tradi solebant, uberrimos

fructus carnifici accrescere vidimus? — Quae tamen instituta, de quorum utilitate sane nonnulla afferri possunt, jam non amplius in judicium vocabo.

vel medici idem fecerunt.

Jam vero, quod magnopere dolemus, non omittendum est, etiam *medicos* non omni culpa carere. »Medicus practicus talis, quales vulgo sunt, in agendo re»mittit, ubi praecepta sua id quod velit non amplius efficere videt; quin etiam prae»stantior Aesculapii sacerdos, si morbus ei nihil aliud quam artis postulatum quod»dam est, quod ipsi magistro praestandum sit, extremo stadio non eandem operam »et diligentiam dare solet, qua in prioribus curandis usus erat. Satis fecisse sibi »videtur, sin ad morbum superandum omnia remedia tentaverit, cum is tantum, ne»que vero ipse homo medico esset finis propositus. Pauci modo, quibus Deus al»tiorem sensum dederit, aucto periculo etiam operam suam augent, et eodem modo, «quo restitutionis spes evanescit, omnia artis remedia omnesque amicae curae con»tentiones afferunt, ut ultimos vitae spiritus tam moribundo tam superstitibus pro»pinquis, quantum fieri possit, leves reddant« (58). *Si vero ii, de quorum salute jam desperatum sit, a medicis non amplius conveniuntur, vel apud eosdem frigidi abscessus* (dolore carentes) *aperiuntur, vel majores chirurgicae operationes sub eventus verisimiliter felicis ostentatione suscipiuntur, si dolorosae derivationes vesicatoriis, sinapismis, cauteriis actualibus s. potentialibus apud eos instituuntur, vel alia ratione aegrotantibus difficilius redditur vitia ab ipsis commissa sua sponte improbare, aut propinquis suis, ut viventes ita morientes, praeclara exempla praebere: tunc, turpius, sola officii neglectione, ipsa humanitas crudeliter abjecta apparet.* Atque nihilominus etiam talia crebro facta sunt. Testis est id, quod praeceptum hocce: *remedium anceps melius quam nullum* a multis medicis omnino collaudatum est, quamquam in singulis tantum casibus quod adhibeatur dignum est: in iis nempe, in quibus vitae discrimen ab adhibendo remedio dependeat et quos saepe felicem, interdum infelicem exitum habere experientia docti simus; qua in re in singulis casibus saepius neutri eventui vades esse possumus (59). An adeo raro fit, *ut aegrotantes, qui*, testante omni experientia, *mortem effugere nequeant, ita tractentur, quasi restitutio adhuc effici possit*, graviter offensa euthanasia? Revera, ubi praesentia signa nos coëgerunt, ut lethalem constitueremus prognosin, *ibi medici actio non amplius ad proximam mortis causam spectare debet*, cum ea tolli amplius non possit. Quare, quamvis bene constet, periculosos status, praesertim si ex inveteratis malis orti sint, saepe, remotioribus causis omnino neglectis, pro tempore oppressionem modo symptomatum vitae periculosissimorum postulare: ad eos, qui jam moriuntur, hoc praeceptum non pertinet, siquidem illi status (quod rarissime accidit, vide antea) euthanasiae non obstent. At, etiamsi conceditur, in plerisque casibus illius praecepti exsecutionem inutilem fore: nonne *licebit* certe exsequi, cum dubia fides diagnosis aut prognosis saltem de aegrotantium vita aut morte dubios nos saepe faciat? — Hoc modo non raro medicus cogitat, sed cogitans plerumque ei, qui vitae irrevocabili valedixit, extremas horas minuit aut certe euthanasiam eripit. Etenim qui, ut senilem marasmum vel virium inertiam ex atrophia insanabili ortam minus molestam sibi reddat, vehementioribus incitamentis utitur: nonne is idem facit, quod potator, qui pro paucis horis, per quas sensu roboris et hilaritatis fruebatur, vitae suae partem profundit et praeterea per sobrietatis tempora aegerrimam degit vitam? Atque si quis febri nervosa correptus et ulceribus obsitus ex mortifero somno Moscho

resuscitatur, num gaudebit quod ulcerantium locorum doloris denuo sibi conscius fit; nonne eo celerius in omne tempus oculos concludet? *At nihilominus in hisce casibus Moschus in tanto usu est, ut etiam apud vulgum ejus adhibitio pro imminentis exitii signo habeatur.*

»Verumtamen in iis hominibus, qui, morti vicini, animum expiare, affinibus »voluntatem suam relinquere, vel religioni ultimum officium ac sacrum praebere »magno angore coacti, tanto torpore vel sopore opprimuntur, ut sensatione officii »cujusdam neglecti, etsi obscura, et conscientiae, etsi obtusae, stimulis ac morsibus »torquentur: in his forsan medicus euthanasiae deditus ducitur, ut excitantia ner»vina et volatilia quidem adhibeat« (60).

Qua ex re apparet, *non solum maximi momenti esse, verum etiam nullo modo remitti posse medico citam eamque certam diagnosin et prognosin. Utiles* hae ei fiunt ad firmandam ipsius famam, *gratae*, ad anxia propinquorum dubia mox solvenda, *necessariae* denique sunt ad bene efficiendam euthanasiam.

Remotiores quoque *mortis causae* etiam tunc, si in moribundis adhuc exstant, (saepe enim jam evanuerunt), *ut exceptiones solum euthanasiae provinciae attribuendae sunt.* Earum enim superatio infelicem exitum non tolleret, neque aliter praeceptum illud, ut in periculosis malis gravissimis potissimum symptomatibus operam demus, ad hasce causas pertinet, quam si dolorifica symptomata sistunt, quae sine vitae diminutione levari possint. Nihilominus *illicita restitutionis experimenta* in aegrotantibus ejusmodi, qui, ex omnium peritorum medicorum communi judicio, salvari non possint, maxime in nosocomiis, *non raro instituuntur.* Ut alia omittam, eam tantum rationem commemoro, qua ii, qui scrofulis excruciantur, tractari solent. Quamvis enim medico liceat, ut ad excolendam artem etiam *experimenta* faciat, in ea quoque re peritia et humanitate eum duci oportet, ne inconsultus multarum simul rerum usus, aut praeceps plurimorum remediorum commutatio, ordinem nostrum macula afficiat ad eumque docendum inutilis reddatur, etiamsi interdum contingat, ut ista ratione, qui aegrotavit, restituatur. In iis igitur morborum statibus, quorum curandorum apta ratio nondum innotuit, ibi solum experimenta aggredienda apparent ubi ex iis, quae peritia et doctrina jam docuerunt, cum perspicuitate quadam intelligitur, fieri posse, ut aegroti valetudo via aliqua nondum satis explorata restituatur. Si vero aliter res sese habet, omnia euthanasiae postponenda sunt. Attamen perito, docto, sagaci medico saepe continget, ut, vias eousque inaccessas ingressus, morbo afflictum in rectum valetudinis statum reducat. Etenim non solum ex earum disciplinarum, quae medicinae inserviunt, progressionibus, verum etiam ex iis medelis, quas laïci sibi ipsi afferunt, nisi hasce plane negligit, ingentem magni momenti indiciorum multitudinem haurire poterit; quibus si recte utitur, magnos inde fructus capiet.

»*Officium illud, quod medico impositum est, vitae fili quam longissime du»cendi, eam habet gravitatem atque sanctitatem eumque principatum omnibus finibus »absolutum obtinet, ut, etiamsi aegrotus homo ipsum suppliciter oret et obsecret, »quin etiam si ipse nimiis miseri doloribus, de quibus leniendis desperavit, mortem »ut optimam medicinam desideret, tamen ne momento quidem temporis vitam dimi»nuendam censere liceat.* Vitae enim aut mortis discrimen superioris numinis est, »neque vitae retentio imbecillitas quaedam aut solus illicitae offensionis in ignotam

»futuram vitam factae timor est: immo sanctum officium nobis impositum, ut, quae »divinitus nobis acciderunt, cum patientia toleremus, cum confidentia et constantia »tentationes sustineamus, etiam in gravissimis cruciatibus divinam expiationem et »consecrationem agnoscamus, nec, nisi in naturali letho aeternae pacis numen re»periamus» (61). Eadem sententia ductus jam Pythagoras vetuit, injussu Imperatoris, i. e. Dei, a vitae statione discedere. Indignum igitur et improbum conamen est, si quis, ad gravissima alicujus fati placita evitanda, voluntariam mortem obeat, ut *Epicurus* plurimique alii. Populi vox cum Dei conjuncta hisce hominibus notam inurit, honestas exsequias denegans. Magis autem improba est illa misericordia, quae, sana mente, Providentiae potestatem sibi praesumat, et cujusquam mortalis dies diminuat. Etenim cum suicidii (αὐτοχειρίας) exsecratio non raro leniatur vel, nisi fallor, omnino solvatur cruciatibus omnem rationem superantibus, aut mentis perturbatione a misero immerita: *non licebit consultam caedem a medico in aegrotum commissam excusare.* Ubi dolores nervosae alicujus corporis partis, accedente inflammatione, eo usque progressi sunt, ut non possint quin vitam exstinguant, et adhuc remanent, quamquam inflammatoria excitatione valde attenuata: ibi jure nostro Opium pro sacra moribundi ancora habebimus. Verum enim vero non solum illicitus, verum etiam sceleratus ejus esset usus praesentibus gastricis sordibus, ac priusquam summa inflammationis vis frangeretur; nam utrasque augens illud remedium haud dubie interitum acceleraret. Atque tamen etiam recentiori tempore medicus quidam spectatae auctoritatis *de integris libris Opii locutus esse dicitur, quae singulis mensibus in nosocomio suo consumerentur, ubi etiam aegrotorum custodibus licitum esset ut eo in miseris ex libidine uterentur* (62). Sic nonnulli medici *hydrophobia* furientes misericordia ducti gravi sanguinis detractione interfecerunt, vel etiam lecto ipsorum suffocarunt (63). Schallii consilium (64), *ut animus, etiamsi contra corpus hoc efficiendum sit, in moribundis quam maxime liberetur*, cum haec sit optima euthanasia, benevolus error appellari posse videtur, cui num multi decedentes assensuri sint, valde dubitamus.

Inter omnes constat, nemini licere, ut matrem, cujus progenies nisi sectione Caesarea viva ad lucem produci non possit, ad eam operationem tolerandam cogat. Neque tamen magis medico permittendum est, *ut in vivis foetibus embryulciam s. embryotomiam faciat.* Quodsi igitur mater disertis verbis eum impetum recusaverit, nihil aliud restabit, quam ut illa dissectio, siquidem sufficiente aditus amplitudine effici potest, in id tempus differatur, quo medicus foetus mortem persuasum habebit. Ac nihilominus *liberorum ea interfectio usque in medium proximum saeculum in omnium usu fuit*, et Deischii atque Mittelhaeuseri res notiores adhuc, quam quarum amplius mentio facienda sit. Quae crudeliter acta eo excusari non possunt, quod tunc temporis ignotae adhuc erant versiones (*Kindes-Wendungen*); nam jam vetustissima antiquitate Caesarea sectione prudentior ratio apparuerat. *In Britannia etiam hodie excerebratio, embryotomia et partus artificiose immaturus (künstliche Frühgeburt) in vivis infantibus cruentae manipulationi in ipsa matre factae praeferuntur* (65). Sane etiam Caesarea sectio interdum in iis casibus suscepta est, qui inviolati infantis productionem incruento periti artificis auxilio admitterent, in iisque, quae pro mortuis habitae sunt, saepe tam rudem in modum peracta est (e. c. cruciformi sectione per integumenta alvi facta, sicut in sectionibus fieri solet), ut, si

mater conscientiam recuperasset, restitutio nullo modo effici potuisset. Quae agendi ratio eo majorem dubitationem affert, quod asphyxia in matris conditionibus, testante experientia, saepe non certa ratione a vera morte discerni potest et nihilominus creberrime exstat. Sic parturientes non raro inter vehementia ad partum molimina capitis vasis nimis impletis in stuporem sensuum incidunt, vel idem accidit ex uberioribus haemorrhagiis (ut in placenta praevia), a quibus tamen, ut omnibus notum est, hic sexus multo facilius quam masculinus se reficere solet (66). *Vesalius* ille (67), praestantissimus anatomicae scientiae restitutor, suo ipsius exemplo dolendo testatus est, etiam peritissimos medicos in feminarum genere de morte falli posse, nisi ad eam dijudicandam summa adhiberetur diligentia. Neque *Caesareae sectionis in iis viventibus, quae pro mortuis habitae sint, factae* desunt exempla: sic mulier quaedam, cui hoc infortunium accidit, cum ad se rediisset, sanguinis profusioni occubuit (68). Neque non Senatus reipublicae Venetianae coactus est, ut lege sanciret, ne Caesarea sectio, ubi necessaria esset, aliter quam ex artis regulis institueretur (69). Praeterea etiam hoc credi potest, *operationem eam pluries in matribus factam esse, ubi certa viventis infantis signa deessent*: quamquam hac de re exempla memoriae prodita non inveni.

Iam vero, quod in universum ad *praecipitem cadaverum aperturam* attinet, silentio haec non transeunda est. Nam, quamvis aliae narrationes, quae de hac re exstant, ut ea quae *de Cardinali Spinosa* (70) tradita est, auctae et ornatae forte sint: tamen negari non potest, cum leges ea de re latae non ubique sufficiant, nisi medicorum accurata diligentia sustineantur, revera talia fieri posse.

Etiam suavis illa *Homoeopathia*, quippe quae a dolorificis derivationibus abhorreat et raro tantum cruentis operationibus aeque ac cadaverum sectionibus utatur: sin ipsius praecepta non falsa sunt, moribundis remedia sua non amplius exhibere debet: *homoeopathicum enim morbi augmentum* (*homöopathische Verschlimmerung*) *cum euthanasia non congrueret.*

Etiamnunc in euthanasiam vitia committuntur.

Hodiene adhuc apud eruditissimos populos humanissima aetate gravia in decedentes vitia exstant? — Lubentissime responsum retineremus! — *Magna pars earum rerum, quas modo commemoravimus, etiamnunc accidit*, quamvis rarius et minus horribiliter. Neque non *praegrandia* tristis negligentiae exempla ostendere possumus. Sic, cum *Franciscus II*, Austriae, aliquando etiam Germaniae Imperator, ultimo conflictu confligere inciperet: (id, quod etiam apud ejus antecessores factum erat,) cubiculi portae apertae sunt, ut omnis aula convocata more consueto Principem eum, qui eo usque nisi validus publicae salutis tutor non apparuerat, *etiam debilissimum adspiciat* (71). Similiter tres optimae notae medici *Lafayetti* ducis lectum feralem circumsteterunt eique, ut traditum est, emplastrum Cantharidum applicarunt, ut clarissimi militis periculis mortique assueti ultimae voces *doloris* essent! —

Circumscriptio provinciae euthanasiae.

Sic euthanasia solum fere ad leniendos dolorosos morborum effectus in moribundis pertinet (i. e. ad eam curationem, quam *palliativam* vocant), *et ad hoc, ut alii injucundi effectus ab iis arceantur, jucundi vero quam plurimi admoveantur, quatenus ea ratione mors non acceleretur.*

Quomodo mors medicamentis levari possit.

Eum igitur finem quomodo medicus *medicamentis* assequi possit, quaestio est, digna, quae ab intentissima summorum magistrorum sagacitate solvatur. Sed

etiam ii in universum modo ea de re pronuntiare et de singulis pauca indicia praebere poterunt, nisi immensam generalis et specialis therapiae disciplinam nostrae adjungere voluerint. Atque etiam tum singulorum exercitatae praxeos casuum unusquisque cogitantem medicum ad nova praescripta adduceret. Sincere ego confiteor, omnium rerum, quae hic solvendae propositae sunt, *huic minime parem me esse*, neque alia ulla causa commotus eam aggredior, quam quod eam maxime huc pertinentem silentio praeterire non licet. Medicus vel propterea inquirere debet, quodnam internum remedium in desperatis maxima cum utilitate adhibeatur, quod etiam tunc, cum corporis status ea irrita reddit, ad animum afflictum erigendum non raro ejusmodi praecepta edenda sunt. Saepe enim magno cum dolore cognoscimus, vere a Reilio esse dictum (72): »*medicinae thecas ultimos esse culmos, a quibus spes pendeat*".

Quamquam igitur, ut jam diximus, propria medicamenta in euthanasia aliis postponenda esse solent, tamen hic illic commovemur, ut *egregiam* laudem iis tribuamus: in iis nempe casibus, *ubi, prognosi non plane certa, consilium ejusmodi admitti potest, quod obeunti suavem mortem, ei autem, qui adhuc vitae retinendae par est, magnum auxilium ad reconvalescentiam comparet.* Natura, cujus obscuri processus etiam acerrimo oculo non semper revelantur, comiter, illi debilitati quodammodo consultura, non paucos etiam tales casus producit: ita ut (ne plura exempla afferamus) *cordis palpitationem* et horrendum *angorem* Digitali cedere videamus, cum eadem planta ad funditus tollendos cordis morbos et hydrothoracem, quae saepe illorum effectuum causae exstant, maxima utilitate esse soleat.

Molestus sensus *anasarca* provocatus, repetita superficiei acuum cataractae destinatarum punctione summopere levatur. *Ulcera aliique loci epidermide destituti*, leni unguento obducti, vel, si dolores altiorem gradum assecuti sunt, cataplasmatibus quam maxime mitigari solent. *Decubitus* curatio cuique nota est, sed tamen admonitione opus est, ejusmodi inopes magna indigere observatione, cum saepe non ultro rem indicent. *Aphthae* tunc localem modo curationem permittunt. Universalis enim (per Emetica, Acidum muriaticum etc.) amplius admitti non potest. Permissum tamen est, sin aphthae manducationem et devorationem nimis impediunt, ut cibi per tubum oesophago immersum impleantur et nutrientes injectiones per anum applicentur, quod utrumque in aliis etiam *glutiendi molestiis* faciendum est. *Foetida narium et faucium ulcera*, ut in ozaena scrofulosa et syphilitica, sin aquae cum Calcariae chloreto mixtae injectiones applicantur, aegrotos minus vexant, neque non alia *mala olfactoriis nervis inimica*, hoc remedio adhibito, mirandum in modum faustam alterationem admittunt. *Nimiae et aërem corrumpentes flatus* saepe sic dictis stomachicis vincuntur, et fomenta aromatica alvo imposita, crebro ad eundem finem optatum auxilium conferunt. *Colliquativos sudores calidos* interdum Agaricum tollere narrant, cui tamen infusum Quassiae frigidum cum Aethere acetico (Behrends) et acida mineralia praeferenda esse videntur. *In frigidis* autem *sudoribus* siccus calor commendandus est. *Magnus ardor*, si levia sunt tegmenta, frigidulis lotionibus diluto aceto institutis non raro quasi magice aufertur; et *frigus* contrario suo tollitur. *Siccum os* crebro imbuendum est. *Lingua densis sordibus obducta et lenta saliva, quae os investit* et saepe dentibus et palato arctissime infigitur, magna cum levatione saepius mechanice absterges, lingua per hebetem cultrum deradenda, ore

cluendo, et, si magnum est impedimentum, toto cavo per humidam spongiam extorquendo. *Aciditas gustus* alkaliis carbonicis tollitur. Aliud *gustus vitium*, cujus causa removeri non potest, jucundissima eaque innoxia ratione involvatur. Profusae *diarrhoeae*, nisi inflammatio adest, Opio attenuantur; in quibusdam conditionibus etiam aceticum plumbum auxilio vocare licet. *Expectorationi atque spiritui, pulmonum debilitate impeditis*, Sulphure, Sulphure aurato, Tartaro stibiato, Dulcamara, Opio, Senega, Aniso, Benzoë, Myrrha, Gummatibus ferulaceis, Camphora, secundum rei statum consuli potest. Maximam autem fortasse efficacitatem tunc praebet tinctura Opii benzoïca (ex Opio, Camphora, Acido benzoïco et ol. Anisi), quae sane cum incitatione systematis vasorum non consentit.

Multa sunt remedia, *quae systematis nervorum incitatum benefice attenuent itaque dolorem opprimant.* Ex omnibus ea excellunt, quibus haec efficacitas *narcoticorum* nomen comparavit, eaque in moribundis omnium medicinarum saepissime adhibenda sunt. Quorum rursus singula in certas singulas partes aut systemata prae ceteris efficacia visa sunt. *Prosopalgia* Cicuta potissimum superari videtur. *Tinnitus* atque *bombus aurium* interdum eam vim habet, ut diu noctuque infelicem nulla quiete frui sinat. Neque tamen semper narcoticis remediis tollitur, nam ex asthenia aut congestione ortus localia incitantia aut rationem antiphlogisticam requirere potest. *Pulmonum dolor* Digitali, Dulcamara, Opio, aqua Laurocerasi mitigatur; *tussis, tam sola quam in phthisi tracheali*, iisdem remediis et Hyoscyamo; *tussis sanguinea* et *spasmus pulmonum* Hyoscyamo; *palpitatio cordis ejusdemque angor* Digitali; *carcinoma uteri et mammae* remediis hydrocyanicis et Opio; *cardialgia* Bismutho nitrico; *emethocatharsis, diarrhoea* et *colica saturnina* Opio et Morphio, quae etiam alibi universo tractui intestinali praecipui placatores sunt; *partium abdominalium cruciatus* per se aqua Laurocerasi, *sin autem tumores accesserint*, Conio felicissime componuntur; *omnia pectoris organa* Digitali; plurimae *secernentes et excernentes partes* Opio; *osteocopi dolores* Cicuta; *musculorum spasmi* Opio et Magisterio Bismuthi; *irritatio arteriosa* Digitali; *tormina per infarctus in systemate venae portarum* Aconito et Lauroceraso; *tabes nervosa* Opio; *induratio tam benigna quam maligna* (scirrhus) *partium nobiliorum* Belladonna; *tumor albus* Conio; *arthritis et dolorificae paralyses* Aconito; *convulsiones* Moscho; *tetanus* Opio; *agrypnia* eadem substantia, et, in timenda sanguinis congestione, Lactucario. Etiam *balnea* bene temperata in magna animi inquietudine et sensibilitate indeque orta insomnia, saepe utilissima se praebent. Eadem balnea, aut per se aut ad sustentandum reliquorum medicaminum effectum, quam frequentissimum usum permittunt, nisi forte certus aliquis status (e. gr. pectoris aut cerebri affectio) renititur. Opium in timendis sanguinis coacervationibus etiam Hyoscyamo suppleri dicitur. Nominatas vero conditiones nonnisi tum narcoticis esse mitigandas, cum primam originem e systemate nervorum traxerint, vel, quamquam aliis causis excitatae, sine his merae nervorum affectiones continuentur; in activa deinde, quam dicunt, inflammatione nunquam et vel in passiva dicta (quae sane in morientibus plerumque observatur) minime ubique narcotica esse adhibenda: id non opus est accuratius exponi.

Saepissime *sanguinis detractiones* auxilio vocandae sunt, etiam solae crebro indicatae. Nam sanguinis congestiones in singulis locis, unde circulatio per pulmones apud cordis morbo laborantes cohibita, *dolores capitis* et *inflammatoriae pas-*

siones, vulgo hic accidunt. Porro pulmonum circulatio hydrothorace, vel ascite, vel congesta tuberculosa substantia; reliqua tumoribus magnas vasorum stirpes comprimentibus vel aneurysmatibus magna impedimenta invenire potest, quae tamen sanguinis detractione valde minuantur. Ea vero quo modo sit instituenda, singuli casus docebunt; in universum tenendum est, parvas plerumque sed saepe repetitas venaesectiones optimum praebere eventum. Neque enim solum satis sunt efficaces, sed aegroto etiam minimam incommoditatem afferunt. Moribundi, ut experientia docet, saepissime impatientissimi sunt ictuum hirudinum, et quae ab iis vulnera relinquuntur, haud raro gangraena occupat. Sed magna cura ad venam arte claudendam habenda est, maxime in aegrotis valde debilibus, quorum mors nimia virium diminutione facile acceleratur.

De varia indole commemoratorum corporum medicorum, quae multis in casibus usum excludit, in aliis optabilem reddere potest, hoc loco non est agendum. Id tantum addam, sin Opium aliqua ex parte intus corpori prodest sed aliis contrariisque indiciis rejicitur: interdum etiamtum licet externe eum apta infrictionibus forma praescribere, ex. gr. in morbis oculorum.

Quodsi secundum principia indicata sed adhuc amplificanda nobis licet, *concitatione omnibus fere viribus destituto, lethargico, mentis non compoti in breve tempus usum facultatum animi reddere:* Moschus, Arnica, Serpentaria, Valeriana, Camphora, Castoreum danda sunt. Et Moschus quidem, quamvis magno vendatur pretio, prae ceteris plerumque idoneus est, cum nervorum systema vehementer, vasorum minus erigat. Idem, saepe falso adhibitus, multis horrorem injicit; bene applicatus grato solis radio similis est, qui densas nubilas uno temporis momento dividit et viatori de montibus planitiem peragratam denuo ostendit, antequam in atras cavernas descendit. Aromaticae infusiones et Vinum, Aether e patera spirando haustus, infricationes aromaticorum atque spirituosorum liquorum, vel mera etiam manus mollis calidaeque frictio augent atque amplificant secundum illum effectum.

Singulae aegrotationes, quamvis longum levamentum longamque prolationem salubribus medicamentis admittant, ut nunc quidem videtur, ab initio usque ad finem adhuc ad euthanasiam pertinent, veluti phthisis tuberculosa pulmonum confirmata. Hic maxime grato animo accipiendum est, in morientes etiam magna beneficia e thesauro medicinarum redundare.

uomodo mors aeterea corpo- cura suble- nda sit.

Quoniam animus, dum a corpore circumdatus est, bonam malamque ejus valetudinem ipse sentiat, utrique religiose consulendum est, sin animum bona pace exitum obscurum adipisci velimus. Medicinae ampulla non sufficit, labanti aedificio parcendum est, idem undique sustentandum et reparandum.

Qui acri morbo vexatur, ei *lectus* pro mundo quasi est; commodum cubile multa alia damna resarciet. Nec tamen semper facile est, in hac re aegroto satisfacere, quippe qui crebro vel imbecillior, vel mentis minus compos, vel denique occultior sit, quin desiderata sua aperiat. In universum tamen hoc valet, caput pectusque erigenda esse, de qua re supra uberius disserui, et positionem inopis saepe mutandam, idque etiam non postulante aegroto. In tanta inquiete, quae cum agone plerumque conjuncta est, hae vices misero optatae sunt; sin minus, facile contraria ejus voluntas apparebit et a conatibus auxilii ferendi abstinendum erit. Hae diversissimae positionis vices, quo facilius et sine ulla moribundi turbatione fieri pos-

sint, varii in aegrorum usum lecti inventi sunt; cujus beneficii usum ne qui tenuis sunt census frustra desiderent, singuli vel bini per oppida, plures per urbes, exiguo pretio parati esse deberent. Marx eum lectum maxime commendat, qui in nosocomio militari, quod est in capite magni ducatus Badensis, in usum hydrope pectoris laborantium destinatus est (73). Is et superiore et inferiore parte erigi deprimique potest et in latere mensam habet, ita sibi conjunctam, ut positio ejus pariter mutari queat ac lecti. Tam commodis vero apparatibus deficientibus, duo vulgares lecti optimum officium praebent. Quorum in altero si jacet aegrotus, alter procul ab illo in loco aëri pervio exponitur, ne corrupti vapores eum penetrent. Si tempus accessit cubilis parandi, alter lectus bene praeparatus apportandus et vicis indigus lente intro ponendus est; quo facto superior lectus ad seriorem usum amoveatur. In malis olentibus id maxime necessarium. Interdum quoque fit, ut vexatus locum quietis cito velit mutare: tunc duo cubilia juxta ponenda sunt, si forte in sella brachiata vel sponda permansio ingrata fiat. Locus quietis undique aditum praebere debet, quo facilius quodvis auxilii genus ferri possit. Lecti velis circumdati vituperandi sunt, cum et puro aëri aditum claudant et impediant adstantes quo minus aegrotum continuo observent. *Caligo*, quam saepe optat, aliunde petenda est, ut a pariete amplo plicatili.

Corporis *vestimentum* sufficiens, nisi peculiares quaedam adsint conditiones, praebent indusium, tunica, (fortasse quoque) focale, ut permutatio vestium, purgatio et necessitates naturales quo possint minimo incommodo fiant. Pellis subacta capreae vel cervi, vel, quae optima est, alcis substrata eum, qui diu aegrotat, servat, ne cutem atterat cubando.

Difficulter spirantes erectiorem postulant positionem, idoneum fulcrum, saepe etiam apparatum quendam, quo manibus nitantur atque ita thoracis fatigantem motionem minore virium impensu faciant.

»*Ne credas aegrum semper in lecto mori oportere* atque in eo mortem pla»cidissime advenire. Sunt aegroti, qui lectum relinquere cupiant et in commo»diore sella considere praeferant» (74). *Siwardus* dux Northumbriae a capite ad imos talos se loricandum curavit, ut ita in sella sedens mortem opperiretur; et *Meyendorfius* dux Russicus, in eundem finem cultum militarem induit, et sic ad apertam fenestram considens finivit (75). Neque raro fit, ut obiens positiones corporis postulet, quae praeceptis doctrinaeque medicorum sunt contrariae. Attamen concedendum est iis, cum eventus saepe doceat, revera per illas levamenta parari, etiamsi hoc ipsis tantum vicibus fiat. Pater Dr. Klohssii, hoc ipso testante (76), mortuus est magna *spirandi difficultate* organico colli malo exorta. Nihilominus aliquoties per cubiculum se ducendum curavit, neque hoc sine magno fuit levamento. *Aliae etiam conditiones sanis vix ferendae, moribundis interdum exoptatae sunt.* Puerum, cui defectio virium continua vehementissimaque St. Viti chorea vitam ademit, identidem efflagitantem audivi, ut quam possit firmissime constringeretur, ne tam rapide circumjici possit.

Purus aër viventi et morienti maximum est beneficium; et magis etiam huic propterea, quod plerumque respiratio morientium variis causis impedita est. Vel ii, apud quos nihil suspicamur, saepe hiando quid desiderent testantur, et mali odores jam per se accuratam aëris purgationem poscunt. Quae sin amovendo corrupto et inducendo puro aëre fieri potest, longe optimum est. Vel hyeme, ubi summa ege-

stas calefactionem cubiculi minuit, liberales simus in eum, cui pro omni nobis praestita amicitia paullo post nihilo amplius, quam monumento in pectore exstruendo gratias nostras piamque voluntatem referre valebimus. Eae formae, quae purgationem aëris praecipue postulant, fere omnes ex eo genere sunt, ut a *suffitione* prorsus abhorreant; velut plurimae conditiones, ubi pulmones et larynx inflammatione irritantur. Si vero amovendis omnibus rebus ad cubiculum aegroti non pertinentibus et fenestris saepius aperiendis justa aëris purificatio non facta est, mitissimae tantum suffitiones adhibeantur, in quibus lenta aceti evaporatio est. »Irritabiliores »tamen aegroti nullum fumigationis genus patiuntur. Linteum hi aqua Colonica vel »aceto aromatico adspergi, interdum muccinium illis liquoribus tingi malunt, ut ad »nasum possint admovere« (77). In casibus quibusdam phthiseos pulmonum non inflammatoriae et humidi asthmatis prae aliis rebus vapores picis bono cum effectu adhiberi videntur.

Euthanasia arctissimo vinculo conjuncta est *munditiae*, quae eo magis necessaria est in obeunte, quo certiores mortis socii rapida (interdum haud voluntaria) ventris laxamenta, lenti olentesque sudores, purulentationes et gangraenosa dissolutio. Accedit, quod mundities potissimum impedit, quominus cutis atteratur cubando, aut malo semel exorto optimum contra dolores atque amplificationem est praesidium. *Exoneratio alvi* ut minus molesta fiat, pelvis submittatur, quae infusa aqua calida antea temperata sit; in usum eorum vero, qui *haud voluntariis ventris fluxibus* premuntur, Hammerus lectum singulari arte excogitavit, qui omnibus (justis) postulationibus satisfacere dicitur (78). *Urina ultro reddita* notis, et pro duobus sexibus varie formatis, vasis vitreis excipitur. *Adstricta alvus* vix aliter solvenda erit quam clystere. *Sudor mortis* saepe abstergendus est. Ne omittatur viris aegrotis *barbam tondere*, quae multis tunc est molestissima. *Impatientes frigoris* calidum cubiculum postulant, convenientes vestes, lectum calefactum, vel leves frictiones panni, qui interdum aromaticis spirituosisque liquoribus tinctus esse potest.

Saepe unus remanet *sensus*, dum ceteri jam exstincti esse videntur, atque is tum maxime respiciendus est. *Gustus sensus* diu restare solet, et crebrae refectiones datae multa mala tolerabiliora reddunt. Eadem vero causa saepe aptissima medicina rejicitur, quae tum injuria infunderetur. »Cataleptica illa medici la Me»trie *odoratum* incolumem servaverat, ut statim in alterum latus se converteret, cum »spiritus salis Ammoniaci ad dextram narem ejus admoveretur» (79).

Somnus tranquillus, qui multis in casibus exstinctionem supremi spiritus diu producere potest, semper est exoptatissimus; quamobrem summa cura omnia prohibeantur, quae confectum ab hoc beneficio, etiamsi nonnullorum tantum minutorum sit, arcere queant.

Sed ne hoc quidem loco totam rem amplecti concessum est. Multa egregie praecepta liber ille a Dieffenbachio conscriptus et supra laudatus continet; plura sedulo cogitantem humani generis amicum sensus acutior data occasione docebit.

luibus rationis emediis mors evanda sit.

Quodsi *vera* nostri pars *animus* est, et corpus domicilium ejus in breve tempus sufficiens, ut ille, decessurus, cum hoc cohaerere potius videatur veteris consuetudinis vinculo, quam cohaereat revera: facillimum est intellectu, *animum* imprimis apud obientes respiciendum esse, quam sententiam experientia egregie confirmat. »Medicum, naturae sacerdotem, sine dubio decet sublimiorem etiam interni

»hominis curam habere. Qui hoc summum officium ei vellet detrahere, apud mo-»ribundos nobilissimam et saluberrimam muneris partem ei eriperet« (80). »Et in »hac re medicus, quamvis cum homine quocunque humano, vel clerico ad lectulum »moribundi arcessito convenire videatur, multa propria sibi vindicare potest, quae »rerum medicarum imperitus negligeret vel in deterius duceret. Nam rerum divi-»narum minister omni eloquentia atque facundia orationem pulchram componere et »verba consolatoria formare non ignorat: certum tamen mentis statum morbosum »sensationemque morbo calamitoso alienatam, cui illa solatia psychica respondere »debent, rite perpendere non doctus est. Medicus autem solus internam moribundi »conditionem ex morbo praegresso et malo praesente dijudicans, tempus et statum »optime discernet, quo alius solatio sit exhilarandus; alius, multis rebus externis »male opportunis depressus, placandus; alius spe simulata fallendus; alius a cura »gentis suae abducendus et tranquillandus; alius colloquio religioso mundique fu-»turi imagine consolandus ac confirmandus« (81).

Sacerdoti, socio medici in hoc munere, propterea jam saepe officii functio minus procedit apud morientes, quod hi consolationem parvi interdum aestimant, quae ex officio tantum, non propria detur voluntate (82). »Saepissime etiam me-»dicus in hominibus psychice resuscitandis ex ea causa plus pollet, quoniam ae-»grotus, omni spe fere nunquam orbatus, salutem suam a medico percontari non cessat, et iis, quae ille pronuntiat, maximam habet fiduciam« (83). Num exquisitis-simae orationis praestantia ab iis, qui febri vehementer jactentur, satis percipi poterit? Contra verba simplicissima: »Cras recuperatio sanitatis incipiet!« eaque a viro perito candidissima humanitate voluntateque pronuntiata, sexcenties in concutientissimis operationibus constantiam ad acerrimos dolores patiendos dederunt. Reilius aegrotam curabat, quae suppuratione pulmonum laborabat dolentissimisque colli affectionibus insuper vexabatur. Gravida erat, atque hanc ille confirmavit, post editum partum miseram ejus conditionem desituram esse. Ea spe erecta, patienter praesentia ferebat mala, paucis diebus post partum e vita decessit (84). *Itaque quanti pretii medico practico psychologia et vera Dei cognitio reverentiaque sint, satis exprimi non potest.*

Varias curas in sepulcri margine *variae* postulant *vitae aetates*. Sine magna querimonia *infans* descendit. Integer ejus animus in gravissimis casibus nihil suspicatur, nec variis turbationibus obnoxius est, quae provectiori aetati decessum interdum tam acerbum reddunt. »In *aetate juvenili*, quamvis sit tempus enthusiasmi »et idearum, tamen haud raro indolem melancholiae cujusdam et desiderium mortis »observamus. Terra nondum pro patria ei est, hinc decessus ex ea non difficilis. »Atque hanc ob causam sapiens ille rectissime dixit: »»Quem dii amant, eum in »»juventute tollunt.«« In *aetate virili* mors perquam fit difficilis. Invito consue-»tam domum cum alia commutant; aegrior etiam maturior aetas notum mundum et »quasi provinciam relinquit, quacum sexcentis vinculis conjuncta est, quaeque tot »cessionibus et laboribus comparanda fuit. Corpus perfectionem adeptum est, con-»silia antea capta sunt expleta; omnes hae internae externaeque possessiones jam »relinquendae, graves excitant cum morte luctationes. In *senectute* vitae vincula »subinde soluta sunt, pro insequenti tempore in terra pauca restant speranda, ipsa »senectus morbus est et paene mors. Defectio sensuum acuminis, exigua nervorum

»in musculos potentia, impedita spiratio, calor imminutus, reproductionis impoten»tia sensim sensimque vitae vincula solvunt. Flexorii musculi pristinam domina»tionem in extensorios recuperant, ut in foetus vita, caput demittitur, spina dorsi »curvatur, cartilagines ossescunt, velut arteriae; traductio denique corporis in an»organicum, ut dicunt, manifeste apparet« (85). Nec tamen omittendum est, senes vividos etiam non paucos esse atque in iis, qui magis strenui sint, saepe valere, quod Vogelius dicit: »Medici officium in senum obitu nequaquam facile est exse»qui. Experientia eorum, prudentia, curiositas, cautio, diffidentia et veterum con»suetudinum amor euthanasiam multis in rebus difficiliorem faciunt« (86).

Differentia etiam *temperamentorum* curiose respicienda est. »Temperies or»ganismi ea, quam *cholericam* dicunt, magnam omnium sensuum energiam viriumque »firmitatem exhibet, qua homines in animi constantiam mentisque gravitatem et in »majorem fortitudinem ducuntur. Aegroti hac temperie praediti molestias et dolo»res majori constantia majorique alacritate supportant, et malum immutabile et res »quascunque adversas majori animi stabilitate ac vigore adspiciunt: quibus igitur »moribundis et desperatis fulcimina et juvamina propria et ad hanc temperiem ac»commodata offerantur. In illa temperie, quae *melancholica* nominatur, ratio mo»ribundorum adjuvandorum propria et moderata esse debet, quippe cum homines, »hanc temperiem exhibentes, in tristitiam animique demissionem et morositatem du»cantur, et solitudinem societati et figmenta obscura voluptatibus vitae praeferant. »Quibus hominibus, secum magis viventibus, vita apparet futilis ac meris ineptiis »plena, ita ut mors beneficium sit et portam in mundum hyperphysicum et melio»rem reseret: quo fit, ut homines melancholici sempiternas cum vita simultates ge»rant et omnes cruciatus ac tormenta patienter ferant, siquidem de morte assidue »cogitare iis liceat« (87). »Quemadmodum in *sanguinicis*, quod dicimus, homini»bus, vita celeriter progreditur, sed sine interna vi et constantia: ita animus, cum »facillime rebus afficiatur, perpetuo tamen iis resistere non potest. In praedomi»natione phantasiae, inconstantia animi et infinita morum ratione, mors tanquam »formido accedit, quae sine tranquillitate constantiaque oppugnatur« (88). Tales imprimis moribundi animi curam desiderant. »Temperies ea, quae *phlegmatica* no»minatur, homines neque ad morositatem tristitiamque, neque ad nimiam animi agi»litatem, sed ad laudabilem aequitatem ducit, eosque in media via tenet. Nam ho»mines hac ratione temperati, in rebus adversis patientiam, in malis complicatis fir»mitatem, et in molestiis doloribusque constantiam laudabilem exhibent, et medico »prae aliis fiduciam habent« (89).

Postquam vagi vitae fluctus cum amicis, inimicis aequalibus et iis, qui inter illos sunt medii, diversissima ratione nos coëgerunt, suprema jam longi erroris momenta in placato portu degendi fit desiderium. Hinc plerique, qui acri morbo vexantur, *quietis* maxime et *solitudinis* beneficia expetunt. Arceantur igitur omnes amicorum visitationes, nisi ipse moribundus desideret; relegetur omnis turbans strepitus et sermo ingratus, is maxime, quo de morte agatur. Haec omnia summa cura respicienda sunt in *furibundis*, *maniacis*, *hydrophobis*. Hi plerumque ab omni hominum consuetudine excludendi sunt, quia aliorum praesentia turbatio valde augetur; quos ultimos nominavi, hydrophobi, etiam ab obcoecatione fulgentium rerum et aëris moti spiritu curiose tuendi sunt. Sed quantum libertatis sine ullo alio da-

mno iis concedi potest, concedatur. *Delirantibus* nunquam prorsus obloquantur. Etenim cum mentis facultas magis in illis obcoecata sit, quam ut rationes accipere et recte judicare possint: contradictio non potest non injucundissimas affectiones excitare atque turbationem augere. »Respondeant potius humane, tranquillo inde- »fessoque studio aegrorum ideas observantes sed omnino non refutantes; contra, »conjunctis innocentibus deceptionibus, cruciato imagines ejus tolerabiliores, minus »afficientes minusque molestas, quam in talibus conditionibus esse soleant, facere »studeant« (90).

Innocentia desideria, siquidem fieri potest, *expleantur petenti* citissime, etiamsi vel maxime a vulgari consuetudine recedant, velut olim quidam se optare significaverat, ut cucullo (Kapuze) capiti induto moreretur; vel desiderium illud hominis fidei deditissimi, quo vestem hominis personati, quam Domino vocamus, postulavit, quod in scriptura sacra scriptum sit: »beati sunt, qui in Domino moriuntur«. Quaevis vel levissima postulatio, omnis gestus, vultus, positio observanda sunt, cum iis, quibus vitae finis imminet, saepe difficile sit, quid desiderent, satis exprimere, et interdum omnino non valeant id facere. Hoc maxime respiciendum est in *hebetibus*, in iis, *qui sibi non sunt conscii*, qui sunt *sensibus destituti et membris capti*, in iis denique, qui singulari temperantia queri nolunt atque ita, quid sibi opus sit, tacent.

Apud *semisurdos* et *surdos* cavendum est, ne ad suspicionem per se prompti vultu laedantur. Clare loqui studeant sensumque verborum significantibus labiorum etiam motionibus exprimant, quo facilius a miseris intelligantur. Quod si his omnibus nihil efficitur, comiter audiendus certe aeger, ne laetitia mutuorum sermonum plane careat (91). *Coeci*, qui defectu visus ad altiorem animi cultum pervenerunt, quam alias fortasse factum esset, velut *Homerus*, *Ossianus*, *Pfeffelius*, tales monendi sunt, quam egregie unius sensus damnum compensatum sit. Multi et jucundi sermones ob vividam eorum phantasiam e maximorum beneficiorum numero esse solent, quae iis praestare possimus. Sed ita instituendi sunt, ne damni mentio fiat. Ne loquamur igitur de amoenis regionibus vel tabulis pictis, sed significetur mitis saluberque sereni diei aër, cantus avium, jucundissimus florum odor (92).

Fieri vulgo non potest, ut aegroto malum ejus minus quam ipse sentiat dicamus, nam hic statim impietatem suspicaretur; magis etiam cavendum est, ne sollicitatiorem adhuc de conditione sua, quam per se sit, eum faciamus.

Hoffnung leiht den Wünschen Flügel,
Sprengt der dunkeln Zukunft Riegel,
Führt uns in die Geisterwelt;
Gibt uns Muth in Schreckenstagen,
Lehrt die schwersten Leiden tragen,
Bis der Vorhang niederfällt.

v. Ludwig.

Incredibilia sustinentur, *quamdiu restitutionis spes languescenti moribundi brachio novas continuo vires in agone affert.* Qui vitiis oppressus serio de infelice suo statu cogitare adhuc valet, etiamsi ultra hancce vitam neque Diabolum neque Tartarum credit, insuperabili mortis horrore affici solet. Sed alii quoque, ut supra

dictum est, interdum etiam ii, quorum imperterritae virtuti ceterum justa laus tribuebatur, saepe, id quod gravi iis opprobrio non ducendum est, animi tranquillitate et constantia deseruntur, simulac appropinquantis extremae horae certi facti sunt. »Saepe infelices multis precibus medicum rogant et omnia moliuntur, ut ille ipsos »de vero suo statu doceat, dicentes, se, ad omnia paratos, contento et tranquillo animo »fatum suum exspectare. Tunc magnopere cavendum est, ne ab ejusmodi incita»tione fallatur. Multi enim aegrotantes, qui mortem tranquille se exspectari glori»entur, spem aliquam retinent reconvalescendi, ita, ut verae conditionis suae expla»natione in terribilem desperationem essent incasuri, qua non solum omne na»turae auxilium deletur, sed etiam ipsa mors acceleratur» (93). »Insuperabilem »mortis timorem et imaginationem incitatissimam obitum brevissimo tempore addu»cere vel celerare posse, non minus constat, quam alias certas exspectationes et »spes eandem levare, retardare vel retinere, interdum etiam tollere» (94).

Difficilis sane plerumque, interdum etiam irrita est haec propositio, omnem veram status sui divinationem a moribundis amovendi. Humanus tamen medicus quantum potest curam adhibebit, ut in interrogationibus, explorationibus, praeceptis, ne levissima quidem instantis exitii significatio appareat. „Aegrotus, inconfidentia ductus, con»tinuo in verbis, in vultu totoque habitu medici inquirit, quid sibi timendum aut »sperandum sit. Una vox temere edita, quantumcunque vigoris adhuc restat, con»quassans vel etiam exstinguens, miserum inferis adjungere poterit« (95). Ad placandum eum ejusque propinquos, medicus auxilio vocatus agens semper appareat, et simulac cognoverit, non satis fiduciae in se haberi, aptum erit consilium alium collegam, qui fama excellat, ad communem consultationem arcessendi. Quod etiam tunc maxime suadendum est, cum dubia de prognosi relicta sunt. Vel sola recentis spei excitatione ejusmodi colloquium moribundo utilissimum saepe est.

Certe is medicus, cui cliens omnino confidat, non sine fausto successu eum in ultima via comitabitur. »Aegrotantis *fiducia*, optima ejus medici adjutrix, qui »illa juste uti sciat, praeclarum ad efficiendos miros eventus instrumentum, quod »saepenumero plus quam omnia alia, magis quam recepta et medicinarum ampullae »efficiat, quo qui caret vix ullum gravem morbum superet; haec planta lentissime »accrescens, tarde flores et fructus proferens, saepe etiam non perennis; hoc »acerrimorum dolorum, summarum angustiarum et vexationum corporis palladium: »praecipue in omnibus insanabilibus, diuturnis maximeque dolorosis passionibus, »in iis denique omnino, in quorum postscenio mors inevitabilis cum omnipotente »falce constitit, maximo est momento pretioque incompensabili« (96).

Tamen etiamsi medicae artis peritus hisce officiis satisfecerit, aliosque cohortatus sit, ut idem facerent: tamen *saepe per hos navis in ipso portus adspectu submergitur.* Nam medico bonae suae famae cura et fatalis illa rerum confusio, quae inopinatum obitum saepissime sequitur, non raro inevitabilem hanc necessitatem imponunt, ut propinquis imminens exitium patefaciat. Qua re commotus Reilius humanum edidit consilium (97), ut lege quisque juberetur jam optima valetudine *testamentum facere.* Attamen non effectum est! »Necessaria rerum domesti»carum constitutio, testamentum, sacra coena, sin optanda sunt, moribundo non ut »documenta summi vitae discriminis significanda, sed ut placationis remedia propo»nenda et suadenda sunt« (98). At num vexatorum plurimi tum conquiescent?

nonne potius cum horrore praesagient, quae in insidiis occulta remaneant? »Summum animi motum revera talis propositio semper afferret. Sed, si necessaria »erit, nemo ad explicandam rem magis quam medicus erit idoneus. Is enim eodem tempore ei, quem spes deseruit, novos adspectus praebere poterit: mentionem faciet similium casuum, quibus etiam periculosioribus valetudinis restitutio contigerit; porro aptiori anni tempore, balneis, itineribus in meridionales terras suscipiendis, remediis, quae in auxilium nondum vocasset efficacibus adhibendis, reconvalescentiam adduci posse docebit« (99).

Propriarum tamen rationum conjunctio interdum etiam magis implicitam rem reddit. Re familiari nondum ordinata, is, qui vita excedit, memoria privatus neque idoneus ut interroganti ultimam suam voluntatem explicet, in ferali lecto jacet. Excitantia autem remedia certi essent funeris acceleratores. Quid igitur faciendum est? Si infirmus ille iis diebus, quibus melius valebat, justam causam dedit, qua eum rerum suarum futurarum sortem non multum curare credamus; si exspectari potest, heredibus etiam sine testamento magnas difficultates non orituras: *tunc scelestum esset, pacem eam turbare, quam Natura benigna nati sui extremis horis praebet.* Contra, si praevideri potest, innumeras complicationes certae constitutionis inopiam secuturas, ita ut moribundus, qui antea propinquorum et rei familiaris suae consultor exstiterat, ejusmodi rixis a se impediendis gavisurus foret: *tunc fortasse etiam vitae diminutio parva medici bonae conscientiae non contraria est.*

Auditus sub exitum saepe acrior redditus, qui inter animi deliquium et etiam simulatam mortem interdum integer remanet, facile aegroto ea prodit, quae adstantes tunc sentiant. Sed etiamsi amicis, qui calamitatibus varie tentati sint, tanta animi fortitudo remaneat, ut nec voce nec vultu summi moeroris signa edant: num fas esset, infantium multitudini tunc exitum dubium relinquere, tunc lecti feralis aditum recusare, cum ardentissimo amore incitati supplicant, ne repellantur? si supponi potest, obeuntis pii patris vel matris adspectum gravissima virtutis vestigia ipsorum animis impressurum et relicturum? — »Insigni animi et corporis perturbatione amici, qui in ultimis moribundi amplexibus haerent, afficiuntur, quam »medicamentis parum leniri, sed adhortationibus potius temperari posse, prudens »medicus facile intelligit. Non reprehendendae sunt lacrymae, quas pro optimis »parentibus, pro conjugibus caris, pro liberis dilectis et pro omnibus fundimus, »qui vitam nostram ullo modo nobis tranquillam, hilarem atque felicem reddiderunt. Testes enim sunt amoris atque benevolentiae, qua nos per omnem vitam »complexi sunt, et quibus omnibus nos in posterum carituros esse praevidemus» (100).

Lebt wohl, ihr Freunde! sehn wir uns vielleicht zum letzten Mal,
So denkt: nur für die kurze Zeit,
Freundschaft bleibt bis in Ewigkeit
Und Gott ist überall.

SCHUBART.

In iis casibus difficilibus, ubi praevidemus, graviores lethi significationes factum iri, quam quae decedentem fugiant, atque hunc ex omnium earum rerum

conjunctione, quae de ipso et circum ipsum accidant, inevitabiliter et irrevocabiliter omni restitutionis spei valedicturum: ibi aptum apparet, eum, quem suae vires deficiunt, accommodata ratione *ad imminentem transitum praeparare.* Reilius eum ad finem *Husstii* praecepta, et Vogelius *Ribbeckii* et *Hansteinii* sacras orationes (101) laudat. Quae, ab hisce viris, tam alte sentiendo quam acriter cogitando excellentibus, commendatae, haud dubie egregiae sunt; attamen singulorum casuum unusquisque medici summam peritiam singulari modo sibi postulat.

Magis etiam quam ipso obitu multi, qui in rerum angustia vel procul a patria morbo corripiuntur, *sepulturae ipsorum voluntati gratae cura* vexantur. Alios metus, *ne vivi in terram condantur*, angit; qua in re aequum est, medicum timenti polliceri, se omni modo impediturum, ne talis calamitas accidere possit; sin autem inops eo nondum contentus est, idem votum coram viro aliquo, qui a moribundo maxime aestimetur, repetere. Cordis perfossio, oblongatae medullae dissecatio, sollicitato magnum est beneficium, idque exigua opera praestabile. *Dubitatio de immortalitate* orta, si cum institutionis desiderio conjuncta est, sacerdotis potissimum aditum postulat.

»Mors *humanitate et misericordia medici* mirum est quantum mitigetur. »Est enim is naturalis per munus et conditionem suam devinctus aegrotantis ami»cus, praestantissimus consultor et consolator. Illius verba plurimum valent, illius »sermo summam in se habet vim, illius amica adhortatio maximos profert effectus, »illius gestus, benevolam condolentiam patefacientes, maximi sunt momenti: etiamsi »ea sint mala quae medica ars sanare non possit. Haecce omnia aegrotanti gra»tissima, excitant fiduciam, voluntatem, amorem, obedientiam, sinceram communi»cationem rerum aliter fortasse in pectore reconditarum, etiam secretarum, quarum »cognitio medico non raro plurimi aestimanda sit, aegroto in reactione etiam sa»luberrima reddatur. Profecto, non minus saepe in medico, quam in aegrotante »prima inest causa impatientiae ejus, quae in chronico aliquo morbo afflictis inter»dum quidem magna, semper tamen excusanda apparet. Si medicum impatientia »capit, lecto advinctos eadem etiam magis affici opus est. Voluntatis frigus gignit »frigus etiam ibi, ubi illud ejusque semen antea non aderat; sed amor amorem, »patientia patientiam, comitas comitatem« (102).

»Verum etiam *totius propinquorum et amicorum coronae benevola adhortatio* »*et humana condolentia requiritur*, ut morientis status quam maxime mitigetur; ne»que enim solus medicus tantum pollet, cum is minimam modo temporis partem, »per pauca, quamvis saepissime repetita momenta aegrotanti adsit. Ii, qui mori»bundi amore carent, siquidem fieri potest, ab eo plane amovendi sunt, iisque so»lis aditus praebendus est, in quorum animis verae humanitatis sensus, neque si»mulata erga miserum voluntas inest. Quae tamen virtutes, ubi desunt, imperari »et produci aut cum aliis communicari nequeunt, si obiens adeo miser est, ut illos »sensus in iis, qui lectum feralem circumsistunt, desideret. Quodsi medicus ad»stantium inhumanitatem omni altiori sensu carentem tollere non potest, tamen »eos adducat certe, ut moribundum hominem pro divinitus consecrato indeque ve»nerando et honorando habeant, neve ultimos terrenae ejus vitae spiritus acri cru»delique sensus frigore acerbiores reddant« (103).

Talis conditio *bonorum aegrotantis curatorum* desiderium imprimis movet; sed saepe inter mille homines, qui hoc officio funguntur, vix pauci ejusmodi inveniuntur, qui ei pares eoque digni sint. Curatorem enim satis robustum esse oportet, qui aegrotum erigere possit, non confectum, grata porro externa corporis specie praeditum, media aetate vigentem, omnibus sensibus acutum, lingua bene sonante, neque garrulum neque nova cognoscendi nimis curiosum, fidum arcanorum custodem, sine fastidio, animosum sed humanum, uni officio suo deditum. Sed comparentur qui sint cum iis, quales esse debere paucis significavi! (103) Populi tamen ecclesiae Romano-catholicae addicti laudem obtinent, in *fratribus* et *sororibus*, quos dicunt, *misericordibus* insigne exemplum ceteris dedisse. Atque haec etiam causa erat, cur sapientissimus Imperator Josephus II, cum omnia alia monasteria aboleret, hunc tamen ordinem servandum censeret. Seminarium quoque curatorum nuper Berolini constitutum quod aliis exemplo sit dignissimum est. — Haud raro *mulierum* cura virili vel apud sexum virilem praeferenda est, quod illa majore intentione, mansuetudine, patientia excellere solet. Tunc etiam aliena opus est cura, ubi affectus, ut fit, ne suos inficiat, neve cognati turpitudine mali nimis graventur metuit.

In universum vero *mors in amicorum amplexibus opperienda beneficium est moribundo*, qua re saepissime ex remotissimis regionibus qui ei praebeant arcessuntur. « Qui contrarium tuentur, profecto errant. Si sejunctio ab illis omnino molesta est, eandem tamen ipsorum, quos relinquendos dolemus, solatio levari constat. Plerique mortalium ante longinquas disjunctiones, longa itinera, periculosas »expeditiones utrum valedictionem carorum affinium, verbum quoddam fortasse ultimum, manuum prehensionem, supremum consilium atque solatium — utrum haec »optabunt, quaeso, annon? Equidem optaturos esse persuasum habeo, quippe quod »et humano sensui proprium naturaeque sit conveniens; atque haec aliter se habere »in morte nego. Iam apud veteres *mors in patria opperienda, apud penates domesticos*, pro summa fortuna deorumque beneficio habebatur, certe minus propter »glebam, ubi extremum spiritum homo efflabat, sed ob carissimorum familiarium »praesentiam. Atque hodie etiam haec vulgi sententia late valet. Obire in gremio »suorum Dei beneficium habetur, contra ea morti in exteris regionibus succumbere, »in oris extremis, procul a patria, maximum malum, vel poenam etiam a Deo missam judicant. Ac profecto, ubinam tandem placidius mori possimus, quam ad »consentientia pectora longe carissimorum, quos terra in innumeris hominum millibus continuit, eorum spiritu afflati lacrymisque tincti? Sed hoc loco imprimis »lugendum est, quod talem finem afferre plerumque ultra medici facultatem potentiamque excedit; etenim si quando fit, divino magis beneficio conceditur. Medicus »fidos amicos, amantes cognatos, caros liberos vel parentes morienti dare nequit, »si hic vel nullos habet vel praegressos dolet; quodsi tam felix est, ut salvis gaudere possit, medicus non semper ad lectum funebrem potest adducere. Tunc nihil aliud relictum ei est, quam ut consecranda propria voluntate morienti compenset »aliisque incitandis majorem amoris societatem, quantum quidem fieri potest, praebendam curet« (104).

»Multum etiam solatii decedenti affert *persuasio, suorum fortunam tutam fore*«. »»Multis««, »Reilius ait«, »»acerbam reddit mortem, quod conjuges libe-

»rosque, quibus nondum prospectum sit, relinquunt. Sed haec cura civitatis est »officium, quae communis viduarum et orborum tutrix est; atque ita respublica est »administranda, ut neque externam physicamque neque internam animi salutem ali»quid turbare possit. Magnum officii finem!«« »Quibus ipse addo: finem, quem »civitas vel promptissima voluntate, vix aliqua ex parte, nedum in universum asse»quetur! Atque id, quod tota civitas non valet, unus quidem de populo, medicus, »multo minus efficiet. Attamen semper hoc ei respiciendum est, et interdum certe »curae suae secundos eventus habebit. Mentis acûmine, mundi hominumque cogni»tione facere poterit, ut moribundorum animos in hac quoque re aliquantum miti»get, vel ubi omnino nulla ex alia re solatium peti posse videat, Deum coelestem »benignissime saluti parvorum liberorum prospecturum esse significet, atque ita »pectus morientis aliquantum levet« (105).

Animus Deum venerans bonaque conscientia consolationi prudenti atque justo tempore adhibitae rarissime omnino resistent. Vel *impius* in extremis angustiis comem adhortationem plerumque desiderat, et vehementius quam omnes alias res *peccatorum remissionem* sibi exoptat. Cujus quidem rei minister Dei, sacerdos, Salvatoris nostri nomine persuasionem dabit; sed, si nuntius coelestis non adest, medicus quoque, Naturae minister, Euthanasiae nomine veniam significabit. Sed *Dei* quoque *contemtor*, *homo obstinate sceleratus*, solatium quoddam sui animi naturae adaptatum in iter secum portare desiderat. Quod praebere sane difficillimum saepe, atque interdum moralitati contrarium est. Atque primo quidem in casu, medico mundi hominumque notitia singulis indigentiis singula remedia subministrabit; sed quid in altero? Num rerum sacrarum derisio concessa est, si moribundis decessum levare possit? Neutiquam! Tunc medicus se contineat, et ipsi clienti suo relinquat ut animam, quocunque modo possit, salvet. Qua tamen in re dubito, num cuiquam liceat, lapsum hominem etiam in inhonestissima sua ipsius consolatione turbare, dummodo nulla inde bonorum morum publica offensio existat, quae in commemoratis rebus Londinensibus sane aderat. Num hic, ut fieri solet, *moribundi correctio* experienda est? — Ut conatus tales poenitentiam efficiant: num haec animi commotio angore provocata, ad turpem vitam emendandam inutilis, verum aliquod habebit pretium? Nonne vero vitae eo celerius finem imponet? — Sed hoc quoque cogitari potest, morientes peccatores *poenitentiam affectare*, modo ut vexatorem Catonem effugiant. Nonne ista ratione, vanae poenitentiae causa, et haec ipsa et euthanasia perditur? —

Himmlisch und unsterblich war das Feuer,
Das in Pindar's stolzen Hymnen floſs,
Niederströmte in Arion's Leier,
In den Stein des Phidias sich goſs.

SCHILLER.

Cum autem animus proxima via affici non amplius potest: alia via, adhuc quidem satis inaccessa, praebetur: *sensuum* dico *organa*, quorum fides leniter incussae, cum animo jucundum suum motum communicare solent, animique dissonantias superant. »Per *aures* in Musicum artisque musicae studiosum, per *ocu*»*los* in pictorem potissimum efficiendum esse videtur. Nonne illius decessus miti-

»gabitur, si suaves Adagii alicujus, fortasse ab ipso compositi, sonos audiat; si »dulces sublimis vel hilaris modi concentus, cantantium voce magis magisque pressa »mixtos, in alteram vitam transiens percipiat? Vel hujus, si etiam extremus obcoe»cati oculi adspectus in praestantissimum plasticae artis opus incidat, vel in pul»cherrimam picturam dirigatur? Qua in re saepe per non unum modo sensum, »sed per plures eodem tempore effectus comparari poterunt, ut hacce conjunctione »universa vis valde augeatur. Haec omnia per ultimas horas, nonnulla etiam plu»res dies antea instituenda commendamus» (106).

Ἄνερες ἔστε, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς! HOMEROS. Conclusio.

Amplissimi sane agendi fines! quos num mortalis quisquam omnino emetiri valebit? — *Gravissimis revera officiis medicum, si lectum feralem spectas, adnumerandum est!* »Medici animus, scientia et virtute munitus, his ipsis planctibus quam »maxime concutitur. Ab eo enim postulant conservationem moribundi, in eum »non raro culpam mortis conjiciunt, ut occidisse videatur, quem servare non po»tuit. Posset quidem medicus, remediis omnibus incassum adhibitis, se subtrahere »et aegrum fato suo relinquere; tristibus tamen amicis tristitiam addere nimis cru»dele esset. Summa potius patientia omnes, quas in eum vehementissimo animi »affectu commoti amici, delirantium more, conjiciunt injurias, deflectere, ubique »tranquilla mente res suas agere, atque pacatioribus temporibus vindicias injuria»rum in se effusarum reservare debet. Sic profecto, inter tot miseriarum confli»ctus, non negligit officium suum medicus prudens, omnibusque ostendit, se non »solum scientia medica excellere, sed constanti animo se virtute sua involvere, at»que in adversis rebus minime perturbari. Dura haec lex est, quam medicis in»jungimus, sed cujus observatio omnibus declarat, quanta in iis sit virtutis prae»stantia. Omnes enim medicos, quos in tantis periculis benignos et constantes ex»perti sunt perturbati amici, postea venerantur, iisque sanitatis curam confidentius »committunt« (107). Ac Vogelius addit (108): »Nisi fallor, nullum medici offi»cium exstat, cujus accurata exsecutio tantam dignitatem tantamque venerationem, »quantam hoc, ei comparet, ut jure suo et verissime Gregoryus dixerit: »»*mirum* »»*esse, quantum solatium inde praebeatur, si quis medicum habeat amicum.*»» Cujus dicti praestantiam *ego* quoque aliquando intimo animo percepi, cum, acerrimo veneno sumpto gravissime afflictus, colliquativis per os et anum excretionibus, atrocissimis intestini doloribus, vehementissimis spasmis tonicis, in vitae discrimine versarer. Neque parvum aliquod aut exiguum est, si humanus medicus amicus in ejusmodi conditione ex arteriarum pulsu, facie artubusque remissiones exploret, neque nisi eo tempore clysteria aut medicinas applicet; omnem quamvis brevissimam interrogationem omittat; quae vero plane necessaria sint, suavissime dicat; cuique desiderio, antequam verbis indicatum sit, satisfaciat, et ingratissimam aegroti asperitatem pro incitamento habeat humanarum contentionum etiam augendarum! —

»Vobis igitur auctor sum suasorque, ut non solum in morbi initiis et pro»gressu praeceptis medicae artis convenienter agatis, neque hanc attentionem in »chronicis morbis, aegris et medico maxime molestis, intermittatis: *sed tandem etiam* »*in moribundis scientiam vestram confirmetis, omnibusque ostendatis, medicum phi*»*losophi, christiani et praecipue amici generis humani officiis satisfacere et posse* »*et debere* « (109).

NOTAE.

1) Quos (medicos) tamen Homerus non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo mederi solitos esse proposuit. Ab eodem auctore disci potest, morbos tum ad iram deorum immortalium relatos esse, et ab iisdem opem posci solitam.

Celsus, lib. I, praefatio. pag. 2. ed. . . . . Almeloveen.

2) νομίζω· ἰητρικὴν εἶναι, τὸ δὴ πάμπαν ἀπαλάσσειν τῶν νοσεόντων τοὺς καμάτους· καὶ τῶν νοσημάτων τὰς σφοδρότητας ἀμβλύνειν, καὶ τὸ μὴ ἐγχειρέειν τοῖσι κεκρατημένοισιν ὑπὸ τῶν νοσημάτων, εἰδότας, ὅτι ταῦτα οὐ δύναται ἰητρική.

Hippocrates, de arte. lib. I, cap. 3.

3) Medicus quidam, a patre abdicatus, quod novercae, animi perturbatione probabiliter insanabili laboranti, remedia porrigere recusaverat, ut res gestas defenderet, praeter alia haecce scripsit: Παρελθὼν οὖν ἄκλητος, οὐκ εὐθὺς ἰασάμην· οὐ γὰρ οὕτω ποιεῖν ἔθος ἐστὶν ἡμῖν, οὐδὲ ταῦτα ἡ τέχνη ὁρμαινεῖ· ἀλλὰ πάντων πρῶτον διδασκόμεθα συνορᾶν εἴτε ἰάσαμόν ἐςι τὸ νόσημα, εἴτ᾽ ἀνήκεςον καὶ ὑπερβεβηκὸς τοὺς ὅρους τῆς τέχνης, καὶ τηνίκαυτα· ἢν μὲν εὐμεταχείριςον ᾖ, ἐπιχειροῦμεν, καὶ πᾶσαν σπουδὴν ἐσφερόμεθα σῶσαι τὸν νοσοῦντα. ἢν δὲ κεκρατηκὸς ἤδη, καὶ νενικηκὸς τὸ πάθος ἴδωμεν· οὐδὲ τὴν ἄρχην προσαπτόμεθα, νόμον τινὰ παλαιὸν τῶν προπατόρων τῆς τέχνης ἰατρῶν φυλάττοντες, οἵ φασι, μὴ δεῖν ἐπιχειρεῖν τοῖς κεκρατημένοις.

Lucianus, ἀποκηρυττόμενος (bis abdicatus), pag. 447. 448, ed. Bourdelotii, Lutet. Parisior. 1615.

4) Hahnemann, die chronischen Krankheiten, tom. I, pag. 199.

5) Reil, Entwurf einer allgemeinen Therapie. Halle, 1816, pag. 573.

6) Ibid. pag. 580. 7) Ibid.

8) Kessler, de euthanasia medica. Dissertat. inaugural. Berolin. 1828. p. 17. 18.

9) Baco de Verulam, de augmento scientiarum, lib. IV, cap. II, pag. 108. Francofurti 1665.

10) Burdach, die Physiologie als Erfahrungswissenschaft, tom. III, Lipsiae 1830, pag. 612.

11) ibid. pag. 619. 12) ibid. pag. 615.

13) Exercitationes physicae de causis physicis mirae illius, tum in homine, tum inter homines, tum denique inter caetera naturae corpora sympathiae, quas praeside Joanne Henrico Rahn defendent: etc. Turici, ex offic. Gessnerian. 1786. 4to. Exercit. 2da, p. 56.

14) S. G. Vogel, allgemeine medizinisch-diagnostische Untersuchungen, tom. II, cap. III, pag. 59, nota.

15) Burdach, l. c. pag. 615. 16) ibid. pag. 611.

17) Quae euthanasia etiam observata est in excessu Antonini Pii, quando non tam mori videretur, quam dulci et alto sopore excipi.
Baco l. c.

18) Burdach l. c. pag. 611. 19) Rahn, l. c. exercit. 1ma, pag. 35.

20) Burdach, l. c. p. 614. 21) Vogel l. c.

22) Burdach, l. c.

23) Joh. Pet. Frank, System einer vollständig. medizin. Polizei, tom. IV, pag. 661.

24) ibid. pag. 708. 25) ibid. pag. 709. 26) ibid. pag. 663. 27) ibid. pag. 661. 28) ibid. pag. 666. 29) ibid. pag. 708. 30) ibid. 31) ibid. pag. 666. 32) ibid.

33) K. F. H. Marx, über Euthanasie, in: Hecker, literarische Annalen der gesammten Heilkunde, Jahrgang 1827, Februarheft, p. 143. 144.

34) Frank, l. c. tom. V, pag. 45.

35) Schneider (physicus publicus, Ettenhemiae) in: Henke, Zeitschrift für Staats-Arzneikunde, Jahrgang 1825, Heft 4.

36) ibidem. 37) Frank, l. c. tom. I, p. 506.

38) Frank, l. c. tom. IV, pag. 663. 39) Frank ibid. pag. 656. 40) ibid. pag. 651.

41) ibid. tom. IV. 43) ibid. 44) ibid. pag. 660. 45) ibid. pag. 648. 46) ibid. pag. 653.

47) Vogel, l. c. pag. 61.

48) Dieffenbach, Anleitung zur Krankenwartung, Berlin 1832, pag. 176.

49) Frank, l. c. pag. 664. 50) ibid. pag. 669. 51) ibid. pag. 666. 52) ibid. p. 670. 53) ibid. pag. 743. 744. 54) ibid. pag. 711—713. 720. 55) ibid. pag. 659. 56) ibid. pag. 727. 57) ibid. pag. 705.

58) Marx, l. c. pag. 133.

59) ut ex. gr. nonnunquam fit in ligandis maximis arteriarum truncis, in tracheotomia ob membranaceam anginam desperatam.

60) Kefsler, l. c. pag. 31.

61) Marx, l. c. pag. 146.

62) Hahnemann, reine Arzneimittellehre, 2te Aufl. tom. II, pag. 70.

63) Marx, l. c. pag. 137.

64) Schalle (Dr. Eduard), zur Psychologie u. Euthanasie, in: Horn, Archiv für medizin. Erfahrung. 1832, März u. April.

65) Rust, Handbuch der Chirurgie, tom. IX, pag. 446. 455.

66) Frank, l. c. tom. I.

67) Joannes Schenckius, observationes medicae rariores. Francof. 1665, lib. IV. pag. 640.

68) Frank, l. c., ex: nouveau dictionnaire de médecine et de chirurgie, vol. V.

69) Frank, l. c. pag. 612. 70) ibid. pag. 719.

71) Preufsische Staats-Zeitung vom 13. März 1835.

72) Reil, l. c. pag. 576.

73) l. c. pag. 136.

74) Dr. Klohfs, in: Hufeland u. Osann, Journal der praktischen Heilkunde. 1832, Januar.

75) Burdach, l. c. pag. 614.

76) Klohfs, l. c.

77) Dieffenbach, l. c. §. 48. 78) ibid. §. 141.

79) Frank, l. c. tom. IV, pag. 661.

80) Marx, l. c. pag. 141.

81) Kefsler, l. c. pag. 32.

82) A. F. Hecker, theoretisch-praktisches Wörterbuch der Medizin. Erfurt und Gotha. 1820. Artikel: Euthanasie.

83) Kefsler, l. c. pag. 31. 32.

84) Reil, l. c. pag. 576.

85) Marx, l. c. pag. 150.

86) Vogel, l. c. pag. 56.

87) Kefsler, l. c. pag. 36.

88) Marx, l. c. pag. 148.

NOTAE.

1) Quos (medicos) tamen Homerus non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo mederi solitos esse proposuit. Ab eodem auctore disci potest, morbos tum ad iram deorum immortalium relatos esse, et ab iisdem opem posci solitam.

Celsus, lib. I, praefatio. pag. 2. ed. Almeloveen.

2) νομίζω· ἰητρικὴν εἶναι, τὸ δὴ πάμπαν ἀπαλάσσειν τῶν νοσεόντων τοὺς καμάτους· καὶ τῶν νοσημάτων τὰς σφοδρότητας ἀμβλύνειν, καὶ τὸ μὴ ἐγχειρέειν τοῖσι κεκρατημένοισιν ὑπὸ τῶν νοσημάτων, εἰδότας, ὅτι ταῦτα οὐ δύναται ἰητρική.

Hippocrates, de arte. lib. I, cap. 3.

3) Medicus quidam, a patre abdicatus, quod novercae, animi perturbatione probabiliter insanabili laboranti, remedia porrigere recusaverat, ut res gestas defenderet, praeter alia haecce scripsit: Παρελθὼν οὖν ἄκλητος, οὐκ εὐθὺς ἰασάμην· οὐ γὰρ οὕτω ποιεῖν ἔθος ἐστὶν ἡμῖν, οὐδὲ ταῦτα ἡ τέχνη ὁρμαινεῖ· ἀλλὰ πάντων πρῶτον διδασκόμεθα συνορᾶν εἴτε ἰάσαμόν ἐςι τὸ νόσημα, εἴτ᾽ ἀνήκεςον καὶ ὑπερβεβηκὸς τοὺς ὅρους τῆς τέχνης, καὶ τηνίκαυτα· ἢν μὲν εὐμεταχείριςον ᾖ, ἐπιχειροῦμεν, καὶ πᾶσαν σπουδὴν ἐσφερόμεθα σῶσαι τὸν νοσοῦντα. ἢν δὲ κεκρατηκὸς ἤδη, καὶ νενικηκὸς τὸ πάθος ἴδωμεν· οὐδὲ τὴν ἄρχην προσαπτόμεθα, νόμον τινὰ παλαιὸν τῶν προπατόρων τῆς τέχνης ἰατρῶν φυλάττοντες, οἵ φασι, μὴ δεῖν ἐπιχειρεῖν τοῖς κεκρατημένοις.

Lucianus, ἀποκηρυκτόμενος (bis abdicatus), pag. 447. 448, ed. Bourdelotii, Lutet. Parisior. 1615.

4) Hahnemann, die chronischen Krankheiten, tom. I, pag. 199.

5) Reil, Entwurf einer allgemeinen Therapie. Halle, 1816, pag. 573.

6) Ibid. pag. 580. 7) Ibid.

8) Kessler, de euthanasia medica. Dissertat. inaugural. Berolin. 1828. p. 17. 18.

9) Baco de Verulam, de augmento scientiarum, lib. IV, cap. II, pag. 108. Francofurti 1665.

10) Burdach, die Physiologie als Erfahrungswissenschaft, tom. III, Lipsiae 1830, pag. 612.

11) ibid. pag. 619. 12) ibid. pag. 615.

13) Exercitationes physicae de causis physicis mirae illius, tum in homine, tum inter homines, tum denique inter caetera naturae corpora sympathiae, quas praeside Joanne Henrico Rahn defendent: etc. Turici, ex offic. Gessnerian. 1786. 4to. Exercit. 2da, p. 56.

14) S. G. Vogel, allgemeine medizinisch-diagnostische Untersuchungen, tom. II, cap. III, pag. 59, nota.

15) Burdach, l. c. pag. 615. 16) ibid. pag. 611.

17) Quae euthanasia etiam observata est in excessu Antonini Pii, quando non tam mori videretur, quam dulci et alto sopore excipi.

Baco l. c.

18) Burdach l. c. pag. 611. 19) Rahn, l. c. exercit. 1ma, pag. 35.

20) Burdach, l. c. p. 614. 21) Vogel l. c.

22) Burdach, l. c.

23) Joh. Pet. Frank, System einer vollständig. medizin. Polizei, tom. IV, pag. 661.

24) ibid. pag. 708. 25) ibid. pag. 709. 26) ibid. pag. 663. 27) ibid. pag. 661. 28) ibid. pag. 666. 29) ibid. pag. 708. 30) ibid. 31) ibid. pag. 666. 32) ibid.

33) K. F. H. Marx, über Euthanasie, in: Hecker, literarische Annalen der gesammten Heilkunde, Jahrgang 1827, Februarheft, p. 143. 144.

34) Frank, l. c. tom. V, pag. 45.

35) Schneider (physicus publicus, Ettenhemiae) in: Henke, Zeitschrift für Staats-Arzneikunde, Jahrgang 1825, Heft 4.

36) ibidem. 37) Frank, l. c. tom. I, p. 506.

38) Frank, l. c. tom. IV, pag. 663. 39) Frank ibid. pag. 656. 40) ibid. pag. 651.

41) ibid. tom. IV. 43) ibid. 44) ibid. pag. 660. 45) ibid. pag. 648. 46) ibid. pag. 653.

47) Vogel, l. c. pag. 61.

48) Dieffenbach, Anleitung zur Krankenwartung, Berlin 1832, pag. 176.

49) Frank, l. c. pag. 664. 50) ibid. pag. 669. 51) ibid. pag. 666. 52) ibid. p. 670. 53) ibid. pag. 743. 744. 54) ibid. pag. 711—713. 720. 55) ibid. pag. 659. 56) ibid. pag. 727. 57) ibid. pag. 705.

58) Marx, l. c. pag. 133.

59) ut ex. gr. nonnunquam fit in ligandis maximis arteriarum truncis, in tracheotomia ob membranaceam anginam desperatam.

60) Kefsler, l. c. pag. 31.

61) Marx, l. c. pag. 146.

62) Hahnemann, reine Arzneimittellehre, 2te Aufl. tom. II, pag. 70.

63) Marx, l. c. pag. 137.

64) Schalle (Dr. Eduard), zur Psychologie u. Euthanasie, in: Horn, Archiv für medizin. Erfahrung. 1832, März u. April.

65) Rust, Handbuch der Chirurgie, tom. IX, pag. 446. 455.

66) Frank, l. c. tom. I.

67) Joannes Schenckius, observationes medicae rariores, Francof. 1665, lib. IV. pag. 640.

68) Frank, l. c., ex: nouveau dictionnaire de médecine et de chirurgie, vol. V.

69) Frank, l. c. pag. 612. 70) ibid. pag. 719.

71) Preufsische Staats-Zeitung vom 13. März 1835.

72) Reil, l. c. pag. 576.

73) l. c. pag. 136.

74) Dr. Klohfs, in: Hufeland u. Osann, Journal der praktischen Heilkunde. 1832, Januar.

75) Burdach, l. c. pag. 614.

76) Klohfs, l. c.

77) Dieffenbach, l. c. §. 48. 78) ibid. §. 141.

79) Frank, l. c. tom. IV, pag. 661.

80) Marx, l. c. pag. 141.

81) Kefsler, l. c. pag. 32.

82) A. F. Hecker, theoretisch-praktisches Wörterbuch der Medizin. Erfurt und Gotha. 1820. Artikel: Euthanasie.

83) Kefsler, l. c. pag. 31. 32.

84) Reil, l. c. pag. 576.

85) Marx, l. c. pag. 150.

86) Vogel, l. c. pag. 56.

87) Kefsler, l. c. pag. 36.

88) Marx, l. c. pag. 148.

89) Kefsler, l. c. pag. 37.
90) Ernestine von Krosigk, über den Umgang mit Leidenden. Berlin, 1826, pag. 107.
91) ibid. pag. 96. 97. 92) ibid. pag. 94. 95.
93) Lebrecht (Dr. L.), der Arzt in seinem Verhältnisse zur Natur, zur Menschheit und zur Kunst. Mainz 1821. pag. 101. 102.
94) Vogel, l. c. pag. 56. 95) ibid. pag. 26.
96) Klohfs, l. c. pag. 91.
97) l. c. pag. 577.
98) Vogel, l. c. pag. 57.
99) Marx, l. c. pag. 142.
100) Fr. Hoffmann, in: Ludwig, adversaria medico-practica. Lips. 1772. Vol. III. pars 1.
101) Vier Predigten von Ribbeck, 2te Aufl. Magdeb. 1792.
Drei Predigten von Dr. G. A. L. Hanstein „Wir werden uns wiedersehen." 2te Aufl. Berlin 1822.
102) Klohfs, l. c. pag. 89—91. 95. 96.
103) Dieffenbach, l. c. de hac re optime agit.
104) Klohfs, l. c. pag. 97—99. 105) ibid. pag. 96. 97. 106) ibid. pag. 90.
107) Hoffmann, l. c. pag. 185. 108) ibid. pag. 49. 53. 109) ibid. pag. 188.

V I T A.

Natus ego sum, *Christianus Carolus Salzmann,* Schnepfenthaliae prope Gotham, a. 1810, Julio mense atque confessionem evangelicam confiteor.

Parentes carissimi *Joannes Carolus Salzmann* et *Thusnelda*, e gente *Lenz,* paedagogii Schnepfenthaliani moderatores, una cum instituti nostri praeceptoribus primis literarum rudimentis me imbuerunt. E magno hocce virorum venerandorum numero, ingenti quamvis me omnes amplecterentur pietate, nullus tamen ad patrem propius accessit *Haraldo Lenzio,* doctore, avunculo.

Receptus deinde in discipulorum gymnasii Gothani numerum, per quatuor annos sub auspiciis *Doeringii* praescripto literarum studio vacavi.

Unde postremo, ante hos quinque annos, dimissus Berolinum me contuli, ibique *Hegelio* rectore, decano *Wagnero* civibus academicis adscriptus, ab eo inde tempore in illustrissima hac Musarum sede huc usque continuo rebus medicis operam meam navavi.

Tentamen philosophicum, extraneis tunc temporis nondum praescriptum, a. 1833, Aug. mens. absolvi.

Instituerunt me autem viri clarissimi, atque: historia quidem naturali et botanice Ill. *Link;* zoologia Ill. *Lichtenstein;* mineralogia Cel. *G. Rose;* physice experimentali Cel. *Turte;* chemia experimentali Ill. *Mitscherlich;* encyclopaedia methodologiaque medica, anatomia corporis hu-

mani sani et physiologia Beat. ***Rudolphi;*** anatomia corporis humani sani Ill. ***Mueller;*** osteologia, angiologia et neurologia Ill. ***Schlemm;*** exercitationibus anatomicis Beat. ***Rudolphi*** et Ill. ***Schlemm;*** pharmacia Beat. ***Hermbstaedt;*** pathologia et therapia generali Beat. ***Becker;*** pathologia speciali et morborum mentis tam pathologia quam therapia Ill. ***Horn;*** therapia speciali Ill. ***Hecker;*** chirurgia Ill. ***Juengken;*** anatomia chirurgica et aciurgia Cel. ***Froriep;*** arte obstetricia Ill. ***Busch.*** Scholis praeterea Cel. ***H. Ritter*** logicis et Ill. ***a Raumer*** statisticis interfui.

Quod reliquum est, clinicas exercitationes frequentavi, et auscultando quidem: medicas internas Cel. ***Wolff*** et ophthalmiatricas Ill. ***Juengken;*** practicando autem: versantem circa morbos infantium Cel. ***Barez,*** circa morbos syphiliticos Ill. ***Kluge***, policlinicum medico-chirurgicum Cel. ***Truestedt***, chirurgicum Ill. ***Rust*** et Cel. ***Dieffenbach***, obstetricium Ill. ***Busch.***

Qui viri Illustrissimi et Clarissimi quamvis optime de me meruerint omnes, nonnulli tamen: Clar. ***Barez***, dico, ***Froriep***, ***Hecker***, ***Lichtenstein***, ***Rust*** et ***Truestedt***, singulari, qua me dignati sunt benevolentia monumentum aere perennius in animo meo sibi constituerunt.

THESES DEFENDENDAE.

1. Psychica cura pharmaceuticae in moribundis plerumque anteponenda est.
2. Animi morbum sine corporis aegrotatione diutius existere nego.
3. Medici sacerdotibus et sacerdotes medicis interdum indigent, ut officium suum bene expleant.
4. Chirurgum sine medicina et medicum sine chirurgia calamitatibus generis humani adnumero.